





ROCHI PERVSINI

DE SCRIBENDA ET RESCRIBENDA EPISTOLA LIBER.

Quam plurimis locis studiosè emendatus atq; distinctus: multis præterea necessarijs capitibus, vtilissimisq; annotationibus & scholijs locupletatus.

DILINGÆ

Excudebat Ioannes Mayer.

ANNO M. D. LXXIIX.

Eremi Camald. C. M. C. in Insula
Wigrensi ex Leg. F. Agathangeli

AD POLITIORVM LITERARVM STV-DIOSAM IVVENTV-TEM PRÆFATIO.



Vam ingens ampliſſimarum vtilitatum multitudo varietasq; commodorum, ex communicatione ſermonis atq; linguæ ad homines permanarit, non facile aut animo comprehenditur, aut verbis enarratur. Vt enim aliquid vniuerſe proferamus: neque ab initio ciuitates conſtitui, neq; iam conſtitutæ ullo modo conſeruari potuiſſent abſq; oratione; cuius beneficio colligatis hominum mentibus voluntatibuſq; conglutinatis, mutuis illi ſeſe auxilijs adiuuare, & ad propagandam generis ſui poſteritatem, in commune operam atq; ſtudium conferre cœperunt. Quantam vero ſermonis facultas cum vtilitate iucũditatem præbeat, duabus potiſſimum rebus inueſtigare poſſumus: ſi vel inter alius nationis mortales verſemur, quibus cum nulla collocutionis familiaritas & conſuetudo nobis intercedat: vel nos mutos repente factos cogitatione concipiamus. Vix tolerabilis verecundia, tamquam mutum aliquod ſimula-

crum inter ignotos obambulare : nec tolerabilior certe mœstitia, sua in se cogitata quasi obruere ac sepelire. Quo fit, vt sapientia ipsa non æque videatur amabilis, si excellentiam ac pulchritudinē eius singularem alijs indicare, & verborum signis atq; instrumentis demonstrare minime poßis. Mutos ferarum animantium quodammodo similes iudicamus, quas ἀλόγους, non tam quod consilio & intelligentia, quam quod sermone carerent, grauißimi auctores græci nominatas prodiderunt: & latini scriptores, mutas pecudes interdum appellare solent. At enim, quando epistolarum præsertim munere, apud absentes etiam nequaquam mutis, verùm loquentibus, & quantumcunq; disertis esse, multiplicíq; ratione, non secus, vt cum præsentibus sermonem habere, curas partiri, animi sensa ipsis concredere, omnia demum quæ volumus, fidenter expromere licet, quis magnum sese illis beneficium iure optimo debere non fateatur? Non est cuiuis integrum, vastißima regionum spatia permeare, immensa maris æquora traijcere, vt negotia sua procuret. At epistola sine magno sumtu, res magnas nostram vicem gerere & expedire consueuit. Hac ipsa ætate nostra, amißis bona ex parte neglectisq; cæteris pœne omnibus eloquentiæ officijs, hoc vnum colitur, & summo ad huc in honore uersatur : nec est profecto

quic-

quicquam aliud, quo hominum vita magis indigeat, cuius crebrior sit tractatio: vt non sæpius aqua & igni, quam epistolis uti uideamur. Nec uero cum amicis solũ atque notis, quinimmo cum ijs, quos numquam vidimus, cum inimicis, quos fortasse coram affari non fuissemus ausi, per epistolam, proinde vt fidelißimam interpretem, agere concessum est nobis. Illa enim, vt est apud M. Tullium, non erubescit: Sed neq; vllius aut importuniorem vultũ horret, aut seueriorem naturam refugit, aut potentiam crudelitatemq; pertimescit. Res secundæ nescio quo modo lætiores fiunt, quando statum & conditionem nostram per litteras ad amantes nostri perscribere est licitũ: aduersæ autem feruntur longe placatius, si, quæ nos perpetimur ac sustinemus, ea ipsa significare quimus alijs, ad quos id pertinere arbitramur. Ab exilio ad Terentiam suauißimam uxorem, Tulliolam & Ciceronem optatißimos liberos epistolarum haud mediocrem numerum dedit M. Cicero, & ab ijsdem multas recepit. Quas, quamquam sine plurimis lacrymis se scribere aut legere non potuisse testatur, nihil tamẽ ambigendum, non paullo acerbiorem ipsi disiunctionẽ illam à rebus multo carißimis & dulcißimis futuram fuisse, si in grauißimo luctu hoc vno solatio fuisset orbatus. Videmus item eruditum ingeniosumq; vatẽ P. Ouidium Nasonem, haud modicam miseriarũ

ac dolorum suorum leuationem, vel obliuionem potius, ab epistolarum scriptione petiuisse. Et quod tandem, obsecro, genus scriptionis reperietur, quod cum hoc aut varietate argumentorum aut, magnitudine delectationis poßit cõtendere? cætera, quæ monumentis litterarum custodiuntur, dialogis, orationibus, historijs, disputationib. ea in certo aliquo ac circumscripto rerũ genere posita & locata sunt, tantã amplitudinẽ diuersitatemq; non habent. Atqui nihil est propemodũ in natura, de quo epistola contexi non queat. Per epistolam quoq; nunc dare, nunc petere cõsilium, nunc laudare nunc reprehẽdere, nunc suadere nunc dissuadere, nunc accusare nunc defendere, modo iocari modo serio agere, modo consolari, modo gratias agere, iam officium ab alijs requirere, iam nostrum alijs studium polliceri, iam gratulari, iam dolere, iam nos excusare, iam unum quiddam, aliâs multa & diuersa scribere possumus, tristia læta, noua antiqua, parua grandia, nostra aliena: quæ omnia recte posse facere, id quod hic liber docebit, haud est mediocris, sed vel consummatæ prudentiæ. Cumq; uicißitudo & uarietas, sicut prouerbio iactatur, mirificam conciliet uoluptatem, necesse est, scribendis legendisq; epistolis, quæ semper alium aliumq; vultum ostendunt, nos mirandum in modum refici, & incredibili suauitate recreari.

Quid

Quid? parumne omnes nouarum rerum cognitionem expetimus? parumne audiendis remotiſsimarum prouinciarum atque regnorum caſibus, & euentis mirabilibus oblectamur? Profecto nihil in tota Europa, Aſia, Africa, nihil in uniuerſo terrarum orbe geri poteſt, cuius diſcendi non ſit auidiſsima hominum natura. Diſcimus autem uel per famam ac rumorem, uel per epiſtolam: nam poſteri noſtri ex hiſtoriarum libris ea cognoſcunt. Vtraq; res miram habet celeritatem: etenim fama uolat, ut dixit nobilis poëta, & epiſtola breui tempore innumera milliaria percurrit, propemodumq; in iis lis equis diſpoſitis, quorum eſt hodie non inſrequens uſus, ipſa etiam uolat. Verumtamen ſæpe certiora ſcribuntur, quam narrantur; & fama uires acquirit eundo, ac fit plærumq;, ut ij, qui boni quid uolunt afferre, affingant aliquid, quo faciant id quod nunciant lætius, quemadmodum in I. Antoniana ſcriptum legimus: epiſtola ſemper manet eadem qualis ab initio fuit, non mutatur. Adde, quod epiſtola facit, ut eodem tempore pluribus ſimul locis uiuere nos ac uerſari magna animi conſolatione putemus. Amicis, cum locorum interuallis ſeparandi ſunt, mnemoſynon inter ſe amoris, ut annulum, ut effigiem ſui, ut numiſma uetuſtiſsimum, aut ſimile quippiam relinquere mos eſt: quod cum aſpiciunt

 illico

illico absentium memoria iucunde renouatur. Iam vero, quod nam certius amicitiæ pignus, quod desiderabilius perpetuæ & cōstantißimæ societatis monumentum esse poßit, quam epistolæ: in quibus uno aspectu, & manum, & oculos, & intimos charißimorum sensus intuemur (maxime, cum præcipua virtus epistolarum illa censeatur, vt mores, indolem, naturam atq; ingenium scribentis penitus exprimat) ac proinde velut ipsos coram præsentes, eorū litterulas amplectimur & exosculamur, illisque scribendo respondentes, tale quiddam taciti vsurpamus,

O vtinam possem nunc meus esse liber.

Quam ego causam fuisse doctißimis & humanißimis hominibus sæpenumero existimaui, cur tot volumina epistolarum conficerent. Etenim, cum eorum permulti numquam Rempub. attigissent vti M. Tullius, eius tamen omnium post homines natos eloquentißimi viri exemplo, & rei pulcherrimæ illecebra inuitati, ipsi quoq; ad amicos suos tum uere, tum ficte, de rebus non æque grauibus licet atq; magnis, uarijs tamen, multis ac non insuauibus innumerabiles epistolas exarantes, quid in hac amænißima & uberrima exercitatione profecissent, testatum posteritati relinquere uoluerunt.

Quocirca, adolescentes optimi, quandoquidem

præter magnam neceßitatem egregia utilitas, eximiarumq; ſuauitas delectationum in conſcribendis litteris inuenitur, & uos per eam ſcriptionem & prudentia augemini, & ad latinæ orationis copiam, proprietatem, elegantiam quaſi educamini: nec vlla diuturnior uobis decreta & præfinita eſt in ludis exercitatio, elaborate, vt in quo operam longiorem ponere neceſſario debetis, in eo fructuoſe tempus atq; otium conſumatis. Quod ita fiet proculdubio, ſi quidem epiſtolas cupidißime & frequētißime compoſueritis, ac viæ, quam ingredimini, expertum aliquem perfectumq; ducem habueritis. Nos ſane, cum circumſpiceremus pæne omnes, qui de ratione efficiendarum epiſtolarum aliqua præcepta tradiderunt, Rochum Pilorcium Marſianenſem, ciuem Peruſinū, magiſtrum ſatis idoneum fore ſtatuimus. Eius orationem de hoc argumento in publicum editam, pro commoditate ueſtra ſuperioribus annis in capita, omißis nonnullis, & ordine commutato diſtribuimus. Deinde iterum diligenter & accurate libellum excutientes, ipſumq; ſurſum ac deorſum uolutantes, non pauca emendauimus, multa concinniora reddidimus, ſtylum nonnihil limauimus, ſectionibus (τμήματα græci vocant) diſtinctionibusq; adhibitis, confuſis ac perturbatis ordinem, obſcuris lucem afferre conati ſumus, capita priſtina hinc

inde ſuppleuimus, inſuper ſex ſupra viginti noua prorſus, tum ex illuſtrium ſcriptorum ſententijs, tum maiorem partem noſtro Marte confecta adiecimus. Scholia quoq;, ſi minus erudita (nobis enim tantum non audemus aſſumere) ſaltem non omnino infrugifera paßim inſeruimus, atq; in ijs idem fere, quod in capitibus illis nouis præſtitimus. Omnia demũ ad utilitatem ueſtram cõmodumq; retulimus, cui quantum noſtræ uires ſufferre potuerint, & ingenij mediocritas permiſerit, quam promptißime ac ſumma ſemper alacritate ſeruiemus.



INDEX EORVM, QVÆ per Capita in hoc Libro explicantur.

Pars Prima.

Pars altera.

De re-

De

Pars tertia.



Syllabus præcipuorum auctorum, quibus ad hoc opusculum augendum & illustrandum usi sumus.

M. TVLLIVS CICERO.
Aristoteles.
A. Gellius.
Apophthegmata.
Aldus Pauli F. Manutius.
Angelus Politianus.
C. Valerius Catullus.
Carolus Sigonius.
Demetrius Phalereus.
Dionysius Lambinus.
D. Gregorius Nazianzenus.
Gulielmus Budæus.
Homerus.
Horatius Flaccus.
Isocrates.
Iustus Lipsius. Lu-

Ludouicus Viues.
Lippus Brandolinus.
Macrobius.
Martialis.
M. Antonius Muretus.
M. Ant. Flaminius.
M. Ant. Maioragius.
Plato.
Plinius Secundus.
Plautus.
Paulus Manutius.
Petrus Victorius.
Quinctilianus.
Q. Cornificius.
Suetonius Tranquillus.
Seneca Philoſophus.
Sententiæ μονόστιχοι variorum Poëtarum.
Sex. Propertius.
Virgilius Maro.

DE EPISTOLA SCRIBENDA ET RESCRIBENDA LIBER.

PARS PRIMA.

Definitio epistolæ, & eius [a] notatio. Cap. I.



EPistola generatim sic definitur: est sermo [b] absentis ad absentem. Si spectamus porro vnum illud epistolarum genus, cuius caussa inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus absentes, si quid esset, quod eos scire aut nostra, aut ipsorum interesset: quod proinde certissimum est, extraque omnem controuersiam epistola potest nominari, cum alia scripta, quibus absentes de his quæ ad illos, vel ad nos, vel ad vtrosque pertinent, certiores non facimus, verũ *Vide cap. 3. cum scholijs.*

aliud quoddam argumentũ nobis proponimus, forsitan eipstolæ vocandæ nõ sint: Si hoc inquam genus solũ spectamus, sic epistolam definire poterimus: est quędam nostrarũ, interdumq; alienarum rerum [c] nuntia, missa ad absentes.

Græcum vocabulum est, ἐπιστολὴ, siue ἀπὸ τοῦ ἐπιστέλλειν, quod valet, mittere, quia ad absentes mititur: siue à στέλλω nauigo, vt quibusdam placet: vnde στόλος classis, quia naues solent afferre litteras, & ex aliis locis noua, ideo quadam similitudine tradunt mitti epistolam, quasi classiculam noua apportantem, eamq; Hammonius nauiculam ad aliquem, seu aliquò missam definiuit.

SCHOLIA.

In Top. *a Quam Græci etymologian, M. Tullius notationem latine dixit, quia verba sunt rerum notæ. Est autem notatio alicuius vocabuli seu nominis explicatio siue interpretatio, aut, si malumus, originis ipsius declaratio (hinc Fabius originationem vocari à quibusdam asseruit) & genus quoddam definitionis, vt si quæratur, quid sit tùmultus: re-* *Lib. 1. cap. 9.*

spon-

ſpondebimus, timor multus: quid aßiduus? qui aſſes dare poteſt, id eſt, diues: quid Philoſophia? amor atq; ſtudium ſapientiæ. Dialectici definitionem nominis appellant. Epiſtola igitur hoc capite bifariam definitur: ſermo abſentis ad abſentem, & quæ ad abſentes mittitur. [b] Ouid lib. 3. Triſt. eleg. 7. non inſuaui tralatione vſus, miniſtram ſermonis nominauit. 7. Philip. In Top. 1. Tuſcul.

Vade ſalutatum ſubito perarata Perhillam
Littera, ſermonis fida miniſtra mei.

Sueton. Tranquill. de Aug. Imperat. narrat: ipſum ſermones cum ſingulis, atque etiam cum Liuia ſua grauiores, non niſi è ſcriptis, & è libello habere ſolitum, ne plus minuſuè loqueretur ex tempore. Quamuis autem per alia quoq; ſcripta loquamur abſentibus, tamen id alio modo facimus, ac in epiſtola, quæ eſt imago ſermonis quotidiani & familiaris (vnde etiam initio ſalutamus, & in extremo valedicimus) neq; tam breuiter & plane. [c] Hiſtoria quoq; ſicut epiſtola, quadam metaphora dicitur nuntia, 2. de Orat. ſed nuntia vetuſtatis. Epiſtola potius præſentia, aut nō multo ante præterita exponit, nec tam publica quam priuata, & ad paucos pertinentia. Item, hiſtoria nec falſa narrare, nec vera poteſt omittere; vtraq; facultas datur epiſtolæ. Seruat præterea ordinem temporis hiſtoria, & vt quicq; primum geſtum eſt, ita commemorat, quam legem epiſtola raro cuſtodit. plura dici poſſent. ſed in præſens hæc ſatis erunt, quæ etiam ad cap. de epiſtola Narratoria accomodari poterunt. In Auguſto. Epiſtola & hiſtoria differūt.

Eiusdem origo, & antiquitas. Cap. II.

CVm lingua & voce â Deo Opt. Max. sibi concessis vteretur homo vt mentis suæ notiones in aliorum animos infunderet, aliosque instituerer ac doceret omnia quæ cogitatione concepisset; illo vno & maximo sane commodo voces carere iudicauit, vt absentes scilicet nihilominus quam presẽtes alloqui & erudire possent. Reliquum igitur esse videbatur, quæ humanæ naturæ cupiditas est, vt aliquid inueniretur, cuius adminiculo & longe absentes, & multò etiam post nascituros doceremus, vicissimque doceremur de iis rebus, quas quidem sciri & cognosci seu nostra, seu absentium, seu etiam vtrorumque interesset. Quapropter, sapientissimum illum, primumque generis nostri parentem Adamum, qui omnibus rebus nomina imposuit, quique non sibi soli, ac præsentibus, sed absentibus quoque posterisque optime consuluit,

consuluit, [a] literarum & epistolarum principem inuentorem esse, quis infi-ciabitur? Nam vtrumque vno eodemque tempore in vsu fuisse, aut certe non multo post inuentas litteras epistolam cōscribi cæptam esse crediderim: quod ipsum tamen nos doctioribus disputandum relinquemus.

[b] Ætate quidem illius Noæ extitisse epistolam, ex Diodoro Siculo apparet, vbi de Staurobate Indorum Rege meminit, quem ad Semiramidem Assyriorum Reginam misisse litteras scribit. Hanc autem Babylone regnasse eo ipso tempore, quo Noas, qui & Ianus dicebatur, in Italia vixit, testis est [c] Berosus ipse Babylonius. Nec alius sane rei, quam litterarum ope, sanctissimus vir, cum post maximam illam aquarum inundationem totum terrarū orbem imperio teneret, tot colonias in diuersas longeque distantes regiones deductas rexisse & gubernasse videtur. Etenim, si is, Beroso auctore, Physicē, si Astronomiam, Theologiam, sacros

Lib. 2. Biblioth. cap. 5.

Lib. 3.

ritus Italicos homines & Armenios docuit, earumque artium disciplinam litteris commēdauit, nonne verisimillimū sit, eum de ijsdem rebus omnibus, quæ quotidie contingebant, quam longissime remotos, per litteras etiā docuisse?

SCHOLIA.

a De inuentione litterarum, leg. cap. 6. lib. 1. de Inuentor. rerum apud Virgilium Polydorum. Ante illam orbis terrarum eluuionem litteras extitisse, cō uincitur ex eo, quod de columnis duabus, quibus filij Seth mathemata inscripserint locupletißimus auctor Iosephus antiquit. li. 1. c. 4. memoriæ prodidit. b Antiquißimus epistolarum vsus item ex Homero satis cognoscitur, qui 6. Iliad. Prœtum Regem Argiuorum ante belli Troiani tempora, Bellerophōtem cum litteris in Lyciam ad socerum suum misisse canit. c Sunt qui Berosum, quem nos habemus, suppositi tium & adulterinum esse rationibus confirment.

Non erit alienum, vt equidem reor, de epistolæ origine & antiquitate Lippi Brandolini, hominis non indocti verba subijcere, De ratione scibendi lib. 1. cap. 2. *A quibus inuenta sit epistola, inquit, neq; ego satis exploratum habeo, neque existimo quæri curiosius oportere. Non enim ad eam quam suscepimus institutionem magnopere pertinet*

tinet: neq; à rerum gestarum scriptoribus, quod ego sciam, memoriæ proditum est. Illud inter omnes constat, hoc scripti genus omnium antiquissimum esse. Nam cum primum litteræ inuentæ sunt, statim ad absentes scribi cœptæ sunt: & fortasse hac potissimũ de caussa etiam sunt inuentæ, vt cum absentibus quasi cũ præsentibus loqueremur. Necessitatis enim gratia, quum ante non essent, inuentas certum est, vt absentes ea quæ audire aut videre non poterant, quo quomodo cognoscerent. Quod quidẽ hinc vel maxime depræhendi potest, quod Ægyptij antequam litterarum vsum haberent, figuris quibusdam atq; imaginibus rerum depictis, quæ Hieroglyphica dicebantur, ea quæ volebant, designabant. Ex quo fit, vt scribendarum epistolarum consuetudo antiquissima sit, neq; habeat auctorem vllum satis certum, cui eius rei assignari possit inuentio. *Extant Hieroglyphicorum lib. 58. Ioan. Pierij Valeriani.*

Epistolæ vsus, & quæ proprie sic appelletur. Cap. III.

EPistolarũ hunc esse vsum scripsit D. Ambrosius, vt disiuncti locorum interuallis, affectu adhæreamus: in quibus inter absentes, imago refulget præsentiæ: & collocutio scripta separatos copulat; in quibus etiam cũ *Epist. 45. lib. 7.*

amico miſcemus animum, & mentem ei noſtram infundimus. Hinc Demetrius Phalereus: Plurimum habeat epiſtola moratum, quemadmodum & dialogus; ferme enim quiſque [a] imaginem animi ſui ſuorumque morum ſcribit epiſtolam. Et licet quidem ex alia omni oratione videre mores ſcribentis, è nulla autẽ perinde vt ex epiſtola. Cicero ad Q. F. ego cum tua lego, te audire, cum ad te ſcribo, tecum loqui videor. Et lib. 7. ad Att. vt ab vrbe diſceſsi, nullum adhuc intermiſi diem, quin aliquid ad te litterarum darem: non quod haberem magnopere quid ſcriberem, ſed vt loquerer tecũ abſens: quo mihi, cum coram id nõ licet, nihil eſt iucundius. Et Caſsius ad Ciceronem. Non mehercule in hac mea peregrinatione quicquam libentius facio, quam ſcribo ad te: videor enim cum præſente loqui & iocari. D. Hieronymus item epiſt. 42. ad Niceam. Turpilius Comicus tractans de viciſsitudine litterarũ; ſola, inquit, res eſt, quæ homines abſentes præſentes facit. Quam-

Lib. de Elocut.

Ep. 1. lib. 1.

Ep. 15.

Ep. 52. li. 12. ad Att.

Vide ep. 16. & 19. lib. 15 & Manut. ep. 11. lib. 1.

Quamquam vero latiſsime patet nomen epiſtolæ (fere enim quicquid dici, quicquid ſcribi poteſt ſub epiſtolam cadere, & eius ambitu comprehendi quidam affirmant) illam tamen propriam, veram, & germanam epiſtolam eſſe ſtatuimus, cuius cauſſa inuentam rem ipſam ait [b] M. Tullius lib. 2. ad famil. ep. 4. nempe, qua certiores facimus abſentes ſi quid eſt, quod eos ſcire, aut noſtra, aut ipſorum interſit. Huc ſpectat illud eiuſdem ad Q. F. lib. 1. Illud, inquit, quod eſt epiſtolæ propriũ, vt is ad quẽ ſcribitur, de ijs rebus quas ignorat, certior fiat.

Hac de re cap. 11. diſputabitur.

Narratoria ſeu Nuntiatoria eſt vere epiſtola. vide cap. 1.

SCHOLIA.

Beneuolentiam & amorem mutuum conciliat epiſtola, quoniam nemo tam agreſtis & inhumanus reperitur, qui, non neceſsitate aliqua, verũ ſponte ac libera voluntate ad ſe ſcribentis officium aſpernetur: immo amplectitur, & in amore illi, à quo ſe amari videt, reſpondere inſtituit. Inde crebra miſsio litterarum, per quas tamquam blandas conciliatrices, fideleſq; internuntias & cõtrahitur amicitia, & con-

tracta confirmatur. [a] Prouerbia duo apud Græcos circumferuntur, quorum posterius per Commutationem ex priore efficitur, ea latine sic sonant: qualis vir talis oratio, qualis oratio, talis vir. Itaq; Socrates apud Platonem, quum esset ex eo quæsitum Archelaum Perdiccæ filium, qui tum fortunatissimus haberetur, nonne beatum putaret? Haud scio, inquit: nunquam enim cum eo loquutus sum. Sed in hunc Demetrij locum præter alia præclara hæc affert clarissimus interpres eius P. Victorius. Fuit senarius antiqui poëtæ, &, vt arbitror, Menandri, qui versus, quod tangit hîc Demetrius verum esse asseuerabat, cuius naturæ sit homo, melioris ne an deterioris notæ, ex oratione ipsius cognosci. Græce ille ita pronuntiatus fuit.

In Gorgia. Cic. 5. Tuscul.

ἀνδρὸς χαρακτὴρ ἐκ λόγου γνωρίζεται.

Videtur igitur ad illam sententiam allusisse Demetrius, & vt id verum esse concessit, ita addidit, è nullo genere id magis percipi, quam ex hoc, quod vocatur epistola, in qua indoles, ingenium, moresq; scribentis eximie expressa sunt, vt qui illam legit, eodem tempore quasi apertum aspiciat pectus illius qui scripsit, & intimos eius sensus omnes notos habeat. [b] M. Tullij verba hæc sunt. Epistolarum genera multa esse non ignoras: sed vnum illud certissimum, cuius caussa inuenta res ipsa est, &c. quo loco quæri potest, quare genus illud vnum appellet certissimum. Vtrum ideo, quia de cæteris aliqua de-

Quæstio.

bitatio

bitatio potest existere? Si potest, quæ nam tandem? sic habendum est: illud (certißimum) ad ipsam appellationem referri, perinde ac si certißimum esset, epistolarum nomine afficienda esse illa scripta, quibus certiores facimus absentes, si quid sit, quod eos scire etc. illa vero scripta, quibus absentes de ijs, quæ ad illos, vel ad vtrosq; pertinent. Certiores nõ facimus, sed vel cõmendamus, vel gratulamur, vel petimus, vel consolamur &c. dubium videri poßit, an vocari similiter epistolæ debeant. Certißimum igitur nominatur, non quia maxime probatum, cognitum, & spectatum sit: sed, quia certißimum sit, ei appellationem epistolæ conuenire. Perinde ac si diceret Cicero, Varia sunt scribendi genera, vel, variæ sunt scriptiones, quibus appellatio epistolarũ tribuitur, ac dubitet quispiam fortasse an satis omnibus illa conueniat: sed ijs sane conuenire scriptionibus certißimum est, quarum caussa inuenta res ipsa est, vt certiores faceremus, & cæt. Doctus quidam vir certißimum genus epistolarum exposuit, verißimũ & maxime germanum: quæ expositio à superiore non dissentit, quamuis non indicet quo respiciens Cicero adiectiuo illo potius quam alio vtatur. Ac principio quidem epistola huic vni rei destinata seruiebat, vt per eam aliquid absenti de re cum publica tum priuata, quid actum, quid ageretur, quid etiam futurum putaretur nuntiaret: quales magnã partem videmus esse Ciceronianas, illas præsertim,

quæ

ſunt ad T. Pompon. Atticum. At poſtea pæne omnia, de quibus ſcribi diciue poſſet, epiſtolæ commiſſa fuerunt.

Vtrum epiſtola artificium quoddam, ac præceptiones requirat. Cap. IIII.

SI Epiſtola ſermo eſt abſentis ad abſentem, imago quędam ſit oportet quotidiani ſermonis, & colloquij cuiuſdam perpetui. Itaq; audiendi non ſunt, qui epiſtolam [a] inſtar orationis, ſuis conſtare partibus, & coloribus docent, nullamq; propemodum inter [b] epiſtolam & orationem differẽtiam relinquunt. Vnam eſſe artem epiſtolarum nonnulli cenſebant, nullam adhibere artem, & excultiſsimam ſentiebant eſſe illam, [c] quę ſine cultu ſcriberetur, vt tamẽ nihil ſordidum appareret. [d] Quo enim ſimplicior, facilior magiſq; verbis quotidianis & vſitatis contexta foret epiſtola, eo ipſam ornatiorem, laudeq; digniorem iudicabãt.

Qualis

Qualis ſermo meus eſſet, ſcribit ad Lu- *Lib. 10.*
cillium Seneca, ſi vna ſederemus, aut ambularemus, illaboratus & facilis, tales eſſe epiſtolas meas volo, quæ nihil habeant arceſsitum & fictum: ſed ſi fieri poſſet, oſtendere quã loqui mallem. Et [e] A. Gellius D. Auguſti. epiſtolas ab *Lib. 15. cap. 7.*
elegantia ſermonis, neq; moroſa neq; anxia, ſed facili & ſimplici commendat. Nocte quoq; iſta proxima ſuperiore, inquit, cum librum epiſtolarum D. Auguſti. quas ad Caium nepotem ſuũ ſcripſit, legeremus, duceremurq; elegantia orationis, neq; moroſa neq; anxia: ſed facili hercle & ſimplici, idipſum in quadam epiſtola ſuper eodem anno (climacterico) offendimus. Eius epiſtolæ exemplum hoc eſt. scansilis

Aue mi Cai, meus ocellus iucundiſsimus, quem ſemper medius fidius deſidero, cũ à me abes: ſed pręcipue diebus talibus, qualis eſt hodiernus, oculi mei requirunt meum Caium, quem (vbicunq; hoc die fuiſti) ſpero lætum & bene ualentem celebraſſe quartum & ſexageſimum natalem meum. Nam vt vides κλιμακτῆρα communem ſeniorum omnium, tertium & ſexageſimum annum euaſimus. Deos autem oro, vt mihi quantumcunq; supereſt temporis, id ſaluis nobis traducere liceat in ſtatu Reipub. fœliciſsimo τῶν ἀνδραγαθούντων ἡμῶν καὶ διαδεχομένων. Vale. IX. Kalend. Octobres. *Epiſtolium Aug. Imperat. ſuauiſsimum.* *Annus ſcalaris ſeu ſcanſilis de quo Plin. li. 7. cap. 49.*

Nec

Nec vero alium ſermonem diuini illius Ciceronis epiſtolas, qui præ cæteris omnibus ſuſpiciendus & imitandus eſt, exprimere videmus, quam domeſticum & familiarem. Ordinem enim ita negligit, vt vndecunq; viſum eſt,
Epiſt. 6. lib. 6. & pro re nata exordiatur: cum aliud ſit, teſte Plinio, ſcribere hiſtoriam, aliud epiſtolam, etiam de eodem argumẽto.

Alij tamen, ad quorum iudicium ego meam quoq; ſententiam libens adſcripſerim, non inanem aut vilem quandam rem epiſtolam eſſe arbitrantur, ſed aliqua Rhetorica, ſi minus intima, arte componendam exiſtimant.
Epi. 6. lib. 13. Id quod de Cicerone ipſo cognoſci poteſt. Noua quædam poſtulat, inquit, & putat me eius generis artificiũ quoddam tenere. Ei ego pollicitus ſum, me ex intima noſtra arte depromturum mirificum genus commẽdationis. Ergo, vt nimis excultus, & ornamentis compluribus nitidus ac ſplendens, omnibusq; Rhetoricis coloribus diſtinctus & illuminatus ſermo fugiendus eſt, ſic latinis, puris, elegantibus, & ele-

ctis vocabulis contexenda, & quodam tum naturali, tum oratorio artificio illustrãda est epistola, vt vitetur plebeij sermonis nimia vulgaritas, & omnis absit deformitas ac sordes, nimiumq́; perturbatus ordo. Ideo non crebra prouerbia, & nonnullas sententias, nõ admodum tamen frequentes, sed continuas & venustas, pro rerum subiectarum decoro epistolis interserendas admonent. D. Gregorius Nazianzenus, [g] epistola ad Nicobulum, in qua prudenter ac ingeniose, quæ ad hoc ipsum scribendi genus attinent, omnia persequitur, prouerbia non excludit, verum crebra non probat. Demetrius autem ita scribit. κάλλος ἐπισολῆσ, ϖυκναὶ ϖαροιμίαι ἐνῦσαι, καὶ τοῦτο γὰρ μόνον ἐν ἔσω αὐτῇ σοφὸν διότι δημοτικόν τι ἐσιν ἡ παροιμία καὶ κοινόν. Pulchritudo epistolæ crebra [b] prouerbia: etenim hoc tantum in ipsa existat sapiens: est enim prouerbium commune quiddam, & vulgo satis facit. Nos seruabimus Gregorij documentum, vt nimirum pro-

Greg. & Demet. de prouerb. in epist.

uerbijs

Ald. Manut. de quaesit. per ep. lib. 3. cap. de epist.

Eiusmodi lib. promittit Paulus Comment. in ep. 5. lib. 1. ad Att.

uerbijs neq; nunquam, neq; saepe vtamur: accedente praesertim Ciceronis exemplo: quem cum legimus, rhetorum precepta non magnopere desideramus. Sed iuuabit ipsum audire Gregorium, huiusmodi verbis loquẽtem. Tertium est epistolarum gratia. Hanc porro seruabimus, si neq; sicca prorsus & inuenusta scribamus, & illepida & inornata, & inculta, quod dicitur, vt sine sententijs & prouerbijs, & dictis & salibus, & reconditis iocis, quibus sermo conditur: neq; valde his abusi videamur. Alterum enim agreste, alterum verò cum satietate. Haec autem eatenus vtenda, quatenus & purpuris in textilibus. Figuras autem recipiemus quidem & paucas, & has non impudenter. Antitheta vero, & aequalia, & similiter desinentia rhetoribus dimittemus. Sicubi autem assumamus, tamquã iocantes potius hoc faciamus, quam serio agentes. Summa haec est, quod ab eloquente quodam homine, de aquila accepi cum diceret: quo tempore

ἀντίθετα ἰσόκωλα ὁμοιοτέλευτα de quibus in Orat. perf.

pore aues de principatu disceptabãt, et aliæ aliter exornatę venerunt, in aquila formosissimũ id fuisse, quod nihil formosum esse putaretur. Hoc & in epistolis obseruãdum, vt minime sint elaboratæ, quod proxime ad [i] naturam accedit. *Festiuus apologus.*

SCHOLIA.

[a] Nimio plus absurdi sunt profecto, qui, cum de arte epistolica libros faciunt, de generibus causarũ, de statibus, de proœmijs, narrationibus, confirmationibus, epilogis, inuent. dispo sit. etc. longe plurima ex Rhetorum commentarijs ad verbum repetita, sine iudicio, sine fructu inculcant: nec generatim modo, verum etiam in singulis propemodum epistolis ista quærunt & obseruare iubent. quos quidem & M. Antonius Muretus præfat. explicat. 2. Catil. grauiter reprehendit, atq; idem eos in Terentij comœdijs facere. Sane, artificium quoddam, & artificium Rhetoricum in epistola seruatur, atq; à doctissimis viris, inprimisq; à M. Tullio. harum scriptionum principe seruatum est. Verumtamen, de his præceptis tam multa præscribere, & vbiq; exordia, narrationes, confirmationes vsq; ad nauseam occinere, cum nec semper, nec frequenter eas partes in optimorum autorum epi stolis demonstrare quisquã *Contra magistros epistolarum ineptos.*

poßit, hoc inquam, non mediocris videtur insaniæ. Quando inter nos loquimur, annon multa eorum facimus, quæ sunt in arte dicendi? at nullus, opinor, præcepta loquēdi è Rhetorica nobis tradet. Epistolæ autem, non tam orationum ex legibus oratorijs subtili artificio confectarum (quamquam id quoq; aliquo tenus) quam sermonis quotidiani debent esse similes, in quibus prudentia ipsi etiam arti moderatur. [b] Quod discrimen esse oporteat inter orationem & epistolam, Demetrius ostendit in hunc modum. Et structura quidē verborum dissolutior potius sit: ridiculum est enim in orbem includere sententias, tanquam non epistolam, sed orationem in foro habendam scribas, & non solum ridiculum, verumetiam alienum ab officio amicorum, quod enim prouerbio fertur; ficum, ficum dicere, idem in epistolis custodiri debet. Nullo igitur modo anxia cura, sollicitumq; studium in quadranda oratione, in contexendis plenis ac numerosis comprehensionibus decet, quia cæsim potius & membratim fertatur oportet, hæc enim est, quam intelligit, dissoluta compositio. Nam qui periodos & ambitus illos in epistola extruit, primum, videtur carere iudicio, quod eam decore minime apto ornare vult, deinde contra suum ipsius consilium venit, fortaßis enim sua in dustria laboreq; amico iucundior esse molitur, at illa diligēs nimium meditatio, simplicitatem, quæ cernitur in amicitia, non redolet. Absint ergo circuitiones exqui-

Oratio & epistola differunt.

Lege P. Victorii Commentar.

quisite, absit omnis ostentatio omnisq; fucus. Etsi nō est omnino negligendum Quintiliani præceptum, apud quem ista leguntur. Est igitur ante omnia oratio, alia vincta atq; contexta: soluta alia, qualis in sermone & epistolis: nisi quum aliquid supra naturam suam tractant, vt de Philosophia, de repub. similibusq; Quod nō eo dico, quia non illud quoq; solutum habeat suos quosdam, & forsitan difficiliores etiam pedes, neq; enim aut hiare semp vocalibus, aut destitui temporibus volunt sermo & epistola: sed non fluunt, nec cohærent, nec verba de verbis trahunt, vt potius laxiora in his vincula quā nulla sint. Lib. 9. cap. 4.
Aquila Romanus absq; vlla exceptione illud de epistolarum oratione scribit: cuius verba sequuntur. Est igitur omnis oratio, aut soluta, nulla inter se necessitate numerorum, neq; composita membris quibusdam, vel determinata certa circūscriptione verborum(ea plerumq; in sermone assidua & in epistolis vtimur. Interponitur autem & in orationibus, vbi aliquid simile & proximum sermoni volumus effingere) aut perpetua quam Græci &c. [c] Cic. ad Att. lib. 2. epist. 1. Quanquam tua illa (legi enim libenter) horridula mihi, atq; incompta visa sunt, sed tamen erant ornata hoc ipso, quod ornamenta neglexerant: &, vt mulieres, ideo bene olere, quia nihil olebant, videbantur. [d] Illustrabit hunc locum Paulus Manut. qui ep. 4. lib. 2. ita scriptum reliquit, Non soleo fere studiosius epistolas elaborare:

primum, quia, si quid scribitur ad familiares, plane familiariter agendum puto: odi illa nimis ambitiosa, constructa verbis, & sententijs exquisitis. Idem infra. Imitetur epistola sermonem, excurrat libere, nullis adstricta legibus, & suauem quandam, perfecta non indignam amicitia, negligentiam præseferat, alioqui officium scribendi, sæpe inter absentes necessarium, gratum quidem semper, iniucundum& graue nimis accurata reddet industria. e Et multi & eximia eruditione viri, quotiescunq; huius egregij scriptoris meminerunt, Agellium, pro Aulo Gellio vocant, quia in libris scriptis, & optimæ notæ fragmentis, à quibus ipsi discedere plusquam sacrilegium putant, constanter sic legatur. Præterea, Priscianus, inquiunt, nomina propria deducit à seruo Seruilius, ab agello Agellius. Dionys. Lamb. præfat. ad Lectorem in Æmilium Probũ, hanc nouam superstitionem irridet his verbis. Et Aulus Gellius (Aulus Gellius, inquam, non Agellius, vt quidam nuper exorti homines nouitatis, quam veritatis cupidiores, nouo & Romanis inaudito nomine appellare cæperunt) lib. 17. &c. Quoties autem id apte & loco fieri posse videbimus, parerga quædam breuissima, propter tyrones humanitatis velut, appingere non grauabimur. Hoc consilium nostrum qui vituperet, ego quidem fore opinor neminem. f Hæc ita latine redduntur; fortiter vobis rem gerentibus, nostrumq; imperium excipientibus. g Epistolæ

Agellius, an Aulus Gellius.

Iustus Lipsius ep. 8. libr. 7. epist. quæst. & antiq. lect. lib. 1. cap. 10.

ſtolæ D. Gregorij, doctißimi ſanctißimiq́ viri, quã primus græcis ac latinis formis nuper excudit Ald. Manut. Pauli F. mentionem perhonorificam facit comment. in Demet. P. Victorius lumen & ornamentum Italiæ, paucisq́ eiuſdem epiſtolæ capita exponit. In ea, inquit, Theologus ille politißimus, ſedulo primum diſputat de magnitudine epiſtolæ, quam putat argumento rebusq́, de quibus illic agitur, accomodari debere. Deinde quomodo obtineri poßit, vt illa plana apertaq́ ſit cum dignitate aliqua, docet: hoc enim quoq́ ab illa inprimis poſtulatur. Ad extremum de lepore ipſius, ac venuſtate diligenter loquitur: & quæ ratio ſit illius pariendæ tradit. [h] Prouerbia enim olent prudentiam non paruam, & ſunt tamquam ſententiæ quædam vſu ipſo veræ cognitæ ac comprobatæ, cum contra in epiſtolis nihil poni debeat valde eruditum, & à captu idiotarum remotum. Eſt quoq́ popularis res prouerbium & communis, id eſt, cuius propter frequentem ipſius vſum nemo ignarus eſſe poteſt. Vnde vidimus magni iudicij poëtam Terentium Andria ſententiam grauem in ore ſerui collocare, quia peruulgata erat. Victor. [i] Mirabilis eſt naturæ vis, magnaq́ rerum ab ipſa procreatarum venuſtas atq́ pulchritudo. Itaque palmarium eſt artificibus, ſi imitando eam proxime acceſſerint. Vt cæteros mittamus, pictorũ vix vnus & alter extitit, qui in aliqua vna re perfecte naturam expreſſerit. Quis autem, verbi cauſ-

De epiſtola D. Gregorij Theologi.

Prouerbia.

Naturæ ornatus.

sa, ita belle rosam, aut violam, aut lilium depingit, vt illi naturæ speciosi partus non multo magis aspe ctum nostrum detineant, & maiore nos voluptate perfundant? Quare & Seruator noster, ne Solomonem quidem in omni gloria sua sicut vnum ex illis coopertum fuisse affirmauit. De hac rerum naturalium elegantia, blandißimis carminibus ita cecinit elaboratißimus omnium poëtarum Sex. Proper. vbi fæminarum immodicam sese comẽdi ornandiq́ industriam accusat.

Lib. 1. eleg. 2.

Aspice quos summittit humus formosa colores,
Vt veniant ederæ sponte sua melius.
Surgat vt in solis formosius arbutus antris,
Vt sciat indociles currere lymphauias.
Littora natiuis pellucent picta lapillis,
Et volucres nulla dulcius arte canunt.

De appellatione epistolarum M. Tullij. Cap. V.

QVindecim lib. epistolarum M. Tullij feruntur, quas huc vsq; familiares videmus vulgo appellatas fuisse. Ceterum ingeniosi quidam viri, atq; in Ciceronis monumentis præclare versati, inscriptionẽ, quam-

quamuis tritam & vſitatam inducentes, potius ad familiares & ipſi vocant, & vocandas ſentiunt. P. Victorius ſcriptor grauiſsimus, vulgatum harum epiſtolarum nomen reijcit, ac principio explicationum ſuarum in Ciceronem caſtigationum conſilij ſui nõ contemnendas rationes reddens, non modo veterem legitimamq; earum inſcriptionem vindicat, verũ etiam quomodo epiſtolæ ex his libris citandæ ſint, perſpicue docet. Ipſum igitur, ſi placet, loquentem audiamus. Exiſtimo autem hos (amantes nouitatis, qui ſinceram & incorruptam vetuſtatem quotidie magis inquinant) vt hæc volumina ab alijs Ciceronis, & maxime ab his, quæ ad Atticum ſcripta ſunt, diſtinguerent, nomen illud excogitauiſſe. Scimus ſane quoddam epiſtolarum genus familiare recte appellari & dici, cuius etiam generis nonnullæ hoc volumine epiſtolæ continentur: non tamen ob id omnes appellandę, cum plurimæ ſint de grauibus & magnis rebus

Cur familiares vocatæ.

summo artificio scriptæ. Quod si vllis epistolarum voluminibus hic titulus conueniret, verius hoc nomine appellari possent illæ, quæ ad Atticum familiariter scriptæ sunt: quæ licet & ipsæ sæpe de publicis rebus agant, remissiore tamen & solutiore genere dicendi vtuntur, & minore arte & studio scriptę sunt, quomodo familiares inter se homines scribere cõsueuerunt. Mouit autem nos maxime, vt id repudiaremus, quod in nullis manu scriptis paulo antiquioribus codicibus illud inuenimus, vt omnino nouum esse, & nuper ortũ cõfiteri necesse sit. Animaduertimus etenim, quod rem penitus confirmare videtur, â nullo vnquã veterum auctorum, & nõ ignobilium Grammaticorum, qui crebro testimonium harum epistolarum adducunt, illas familiares appellari, sed eo quẽ nos restituimus titulo & nomine. Hi sunt A. Gellius, Nonius Marcellus, Priscianus, qui non has solum, verumetiam multos alios libros epistolarum à M. Tullio

Rectius familiares dicerentur quæ sunt ad Atticum.

Tullio ſcriptarum citant, qui ab eo ſemper, ad quem miſſæ ſunt, cognomen accipiunt.

Vnum tamen notandum fuit, cum liber ab eo ad quem primæ epiſtolæ ſcriptæ ſint, appelletur, contineatq; fere ſemper ad alios etiam miſſas litteras, quomodo illæ poſteriores citandæ ſint: quod etiam ab illis diligenter obſeruatum eſt. Quod maxime eo loco declaratur, qui à Nonio Marcello adducitur è lib. qui ante nonus appellabatur. Sed cura vt valeas, ne ego te iacente bona tua comedim. Sic enim inquit Nonius, Cicer. ad Varronem epiſtola Pæti: ſunt enim hæc verba in epiſtola Pæti, id eſt, quę ad Pætum miſſa eſt. Epiſtolæ autem ad Pætum miſſæ continentur volumine ad Varronem, ſic appellato, quia primæ eius lib. epiſtolæ ad M. Varronem ſcriptæ ſunt.

Quomodo poſteriores alicuius libri epiſtolæ citandæ apud M. Tullium.

Nec debent nomine, in quo omnes comprehenduntur ſublato, numeri notari librorum: tunc enim neceſſarij ſunt, cum ad eundem plures libri mit-

Contra numerum librorum.

Volumen angustius patet, est enim libri pars, vulgus aliter existimat.

tuntur, vt in multis ex his, qui vetustate amissi sunt accidit, Nam non pauci fuere ad quos multa epistolarũ volumina scripserit, vt ad Cn. Pompeium, Cæsarem Dictatorem, Cæsarem iuniorem: siquidem ex lib. 9. epist. ad AulumHirtium à Nonio Marcello Ciceronis testimonium adducitur, & ex his qui restant 3. ad Q. F. XVI. ad T. Pomp. Atticum. Hæc ego ex Victorio comprehensius descripsi, dignaque iudicaui, quæ ab adolescentibus legerentur.

SCHOLIA.

De annotatiũculis in epistolas Cic. & de artificio ipsarum male animaduerso.

Marginibus epistolarum. quæ ad familiares vocantur, adscriptæ sunt variorum breuissima scholia seu annotationes, quibus partim ars notetur, partim obscuritas rerum verborumque illustretur. Hæ doctorum hominum esse dicuntur illæ quidem, sed vtinam ne falso. Certe vel vnius Pauli Manutij iuditio, qui ob assiduissimam, & maxime diuturnam Ciceronianorum scriptorum lectionem æquissimus huiusmodi rerum æstimator esse potuit, cuiq; nos adeo multũ tribuimus, leues onmino sunt, minimeq; dignæ quæ legantur. Quod vt clarius

Præfat. in epistolas Cic. ad famil.

per-

perſpiciatur, & ne adoleſcentes in errorem indu-cantur, viſum eſt aliquanto copioſius ſuper hac materia diſſerere.

Hegendorphinus neſcio quis, videtur primus extitiſſe, qui epiſtolas tam præclaris annotationibus an ornauerit, an contaminauerit? Etenim in epiſtola quadam ſua, cum alia ſe præſtitiſſe in Ciceronis epiſtolas, tum vero epiſtolæ cuiuſq; ſpeciem (ita enim loquitur) pro ſua virili diligenter oſtendiſſe ait. Ergo ille epiſtolis nomina impoſuit, quæ hodie paßim inueniuntur, vt alia diceretur Gratulatoria, alia Nuntiatoria &c. de nominibus ipſis non diſputo in præſens, nec quam latina ſint, diſquiro, arbitror enim Grammaticis aliquid eſſe largiendum, vel potius concedendum, vbi latinæ voces deſiderantur. Et quemadmodum hoc non vitupero, ſic neque illud damno, quod epiſtolas ad certa genera voluit redigere, modo ne id in omnibus, aut ſaltem ne tam ſupine factum eſſet. Prima ad Lentulum libro 1. Nuncupatoria appellatur. Quod verbum, quid ſibi velit, aut cur huic epiſtolæ tribuatur, quis nouerit? adſcriptum præterea margini: ab officio exorditur. Ad quã annotationem mira ſcilicet ingenij ſubtilitate opus fuit. Mirum vero, nõ etiam pietatis factã fuiſſe mentionẽ. Quũ enim ita exordiatur ſuũ epiſtolã Cice: Ego omni officio ac potius pietate erga te cæteris ſatisfacio omnibus, eadẽ ratione annotare potuiſſet; ab officio & pietate exorditur. Quid enim eſt ab officio exordiri? quum in his epiſtolis modo Hegendorph. reprehenſus.

ſuum

suum officium polliceatur Cicero, siue ad præstandum omne officium paratum se esse dicat, modo alios, vt sibi præstent roget, aut etiam de præstito gratias agat? officiosam, credo, hanc quoque epistolam esse dixisset, quoniam ab officio eam incipit, si illi huius appellationis in mentem venisset. Nec minus aperta de aliarum epistolarum exordijs ibi annotantur. Vt epist. proxime sequente, cuius initium: Idibus Iaunarijs in senatu nihil est confectum, adscriptum est margini: à narratione exorditur, itidemque in quarta & multis alijs, vbi hoc καὶ τυφλῷ δῆλον. Sic vero episto. 11. lib. 2. cuius initium, Putares ne vnquam accidere posse &c. annotatum est, Exorditur ab admiratione. Vt autem in illa prima li. 1. epi. ex ipsa Ciceronis voce annotatio exordij sumitur, sic etiam in quinta, cuius initium, Tametsi nihil mihi fuit optatius. Quia enim paulo post à Cicerone dicitur; tamen conficior summo dolore, eiusmodi tempora post tuam profectionem consequuta esse: ibi enim adscriptum est, Exorditur à temporum iniquitate. Atqui hoc dicere, nihil dicere est. Apparet, vt existimo, veram esse Manutij sententiam, leues esse & lectione indignas annotatiunculas istas, vt omittam, non idem artificium, aut certe minore sollicitudine in epistola atque in oratione quærendum; quanquam illi boni viri præter artificiosa exordia nihil fere artificiosum in epistolis M. Tullij videre potuerunt.

Quanto

Quanto ſollertior, quantoq́ prudentior in artificio notando fuit noſter Manutius? qui ea attulit, quæ non ſolum grata nouitas, verum etiam ſumma utilitas magnopere cõmẽdaret. Et quia editio ipſius cum annotationibus tam eruditiſsimis quam vtiliſsimis in ſtudioſorum manibus verſatur, ſuperuacaneum fuerit, exemplis in medium adductis, noſtram ſententiã corroborare. Sane illis legendis tum ad probe intelligendam M. Tullij mentem, tum ad hunc ipſum librum exornandum, non parum profeciſſe nos ſentimus, & ingenue confitemur. *Laudatur P. Manutius.*

Epiſtolam ſcripturus tria potiſsimum conſiderare debet, ſiue de epiſtolæ decoro. Cap. VI.

SCripturus igitur epiſtolam, diligenter conſideret, quis ſit ipſe qui ſcribit, cui ſcribat, & quibus de rebus. Alio enim modo ſcribit notus, alio ignotus, alio amicus, vel leuiter amicus, alio inimicꝰ, alio par, alio impar genere, familia, eruditione, ætate, &c. *De decoro multa Cic. in Orat. perf.* *Vide Ludo. Viuem de conſcrib. ep.*

In eo [a] ad quem ſcribitur, quinq; conſideranda ſunt, natura, fortuna, ſtudiũ, dignitas, affectio. In Natura conſiderandus *Ex Brandol. cap. 11. lib. 2.*

randus

randus est sexus: vt vir an mulier, ętas, vt puer, an adolescens, natu grandior, an senex. natio: vt, Italus an Gallus. patria: vt, Romanus an Venetus. In Fortuna cõsiderantur natales, nobilis an ignobilis. Cõditio, seruus an liber. Ordo, eques an senator. Opes diues an pauper. Existimatio, clarus an obscurus. Amplitudo, potens an impotens, alicuius auctoritatis an nullius. Status vitæ, pater an filius, maritus an cælebs, priuatus, an cum potestate. In studio consideratur ars liberalis, vt Grammatica, Rhetorica &c. item Medicina, pictura, cælatura, mercatura etc. latius enim nomen liberalis, hoc loco patere volumus: an illiberalis, vt, sutoria, sartoria, lignaria, ferraria, cæteræq; eius generis, quæ recepto Græco vocabulo mechanicæ appellantur. Dignitas ita cõsideratur, sacra an profana, vt Pontifex, an Rex, perpetua an ad tempus, vt, Princeps an p̃tor. In affectione perpenditur notitia, vt, notus an ignotus, beneuolentia, vt, amicus an inimicus. con-

cõſuetudo, vt, hoſpes an familiaris, propinquitas, vt, ciuis an peregrinus. Cõiunctio, vt, cognat⁹ an affinis. Officia, vt, bene an male de nobis meritus.

Poſtremo, inſpicienda & conſideranda eſt ipſa res ſeu materia, de qua ſcribere conſtituimus, quæ multiplex erit, & varietatem requiret, quandoquidem, ſicut neq; ad omnes & ab omnibus, ita neq; de omnibus eodem modo ſcribendum erit. Aliter loquemur de Repub. aliter de priuatis, aliter de ſerijs, aliter de iocoſis. Sed hæc pars vtcumq; ex ſuperioribus duabus cognoſci poterit, & ex generibus epiſtolarum quæ poſtea tractabuntur, amplius cognoſcetur.

SCHOLIA.

[a] *Dubitare non debemus, quin Cicero (vt hunc potiſsimum, omnis eloquentiæ magiſtrum ac ducem præſtantiſsimum nominem) accuratius ad doctos quam indoctos, vel ad doctiſsimos, qualis erat M. Terentius Varro, quam ad minus doctos, accuratius ad eloquentes quam ad eos, qui eloquentia nec vale-* *Cicero perſonam accurate ſpectauit.*

valebant, nec eius studiosi erant, scribere. Quin etiã magis breuitati studeret in suis ad eos epistolis, quos illa delectari sciebat: quos inter non postremus erat Brutus. Vt omttam, quantum discrimen esse debuerit inter epistolas (in eodẽ etiam argumẽto) quas ad familiarißimos scripsit, & eas, quas ad minus familiares: multo etiã magis inter eas quas familiaribus, & eas quas illis cũ quibus non modo familiaritas, sed ne vsus quidem vllus, aut vlla consuetudo intercedebat. Neq; enim duntaxat existimandum est, multa Attico (exẽpli gratia) ab illo scribi, quæ ad nullum alium scripsisset, sed pleraq; etiam alij plane alijs scripturum verbis fuisse. Ad Atticum enim non solum scribebat interdum quicquid in buccam (ut ipse eum vicißim ad se vult scribere quicquid in buccã) sed etiam verbis vtens, quæ prima in buccam veniebant. Atq; hinc fit, vt multo plura loquendi genera in illis epistolis legamus ex consuetudine sermonis vulgi etiam ipsius petita, & quidem ex ijs, qui idiotismi vocantur, quam in his, quæ, quamuis epistolæ ad familiares vocentur, non tamen omnes ad familiares sunt, paucæ vero ad eos, quibus cum tanta illi esset, quanta cum Attico familiaritas.

Epistolas breuitate commendari. Cap. VII.

Commendat M. Tull. breuitatem in Bruto ep. 24. & 25. lib. 11.

QVanto breuior est epistola, tanto solet esse gratior, præsertim occu-

occupatis, moroſis, incognitis ſeu parum notis, amicis ſimulatis, & ijs demum, qui eo ſcribendi genere delectantur, quales ſunt Principes, & qui ad Principes ſcribunt. Propria autem & quaſi peculiaris epiſtolarum eſt breuitas. Ideo non debet, auctore Seneca, [a] ſiniſtram legentis manum implere, modo vt aut amicitia, aut tempora, aut negotia longiorem non exigant. Nam ſępe contingit, vt nimio breuitatis ſtudio ſqualens, ieiuna ac plane ſicca & exanguis euadat oratio. [b] Idcirco de Philoſophia, de immortalitate animorum, de Deo, de religione, de Repub. huiuſcemodiq; rebus, quæ breui explicari non poſſunt, longior eſſe conſueuit. Quare, vt vno verbo abſoluam, nec omittenda ſunt neceſſaria, ne nimis videantur contractæ epiſtolæ, nec ſuperflua inſerenda, ne præter rationem & ſine cauſſa ſint longæ: ne videlicet modum in altero excedentes, peccare iudicemur. Contrahere me culpam exiſtimarem, ſi D. Gregorij eloquentiſsimi

Plin. ad Traian. & Traian. ad Plin. Cicer. ep. 2. li. 14 & ep. 1. ſub finem lib. 1. ad Q. F.

viri doctrinam de breuitate epistolarũ tacitus præterirem, sic igitur ille.

Greg. Nazianzenus de epist. breuitate.

Qui epistolas scribunt, alij quidem pluribus verbis quam deceat, alij vero exsiliter admodum scribunt: & vtriq; modum non seruant: quemadmodum qui ad scopum iaculantur, siue infra mittunt, siue supra: errare enim æquale est, licet à contrarijs fiat. Est autem epistolarum modus ipsa res: cum neq; pluribus verbis, vbi non multæ sunt res scribendũ sit: neq; paucioribus, vbi multæ. Quid enim oportet vel Persica scheno, vel puerilib⁹ cubitis sapiẽtiam metiri, atq; sic imperfecta scribere, vt nec scribere, sed imitari vmbrarũ meridianas, aut centrorum, in oculos incurrentes, quorum consident longitudines, & obscure potius quam perspicue cernũtur, extremo aliquo significatæ: suntq; (quomodo apposite dicam?) similitudinũ similitudines: cum oporteat, qui vtriusq; iniustam mensuram velit euitare, iustam eum consequi. De breuitate igitur hæc statuo.

Similitudo.

Similitudo.

Scho-

SCHOLIA.

a *At ipsius epistolæ, interdum dexteram quoq; bis implent, inquit Viues. excusari potest fortasse ijs, quæ deinceps in capite sequuntur: res enim ipsæ quas explicabat, orationem longiorem postulabant. Vtrum vero ille summus philosophus ea epistolarũ angustijs includere potuerit, quæ inclusit, doctiores sententiam dicant. Demetrius quidem aperte repugnat, vt posterius videbimus.* b *Argumentũ aliquando amplũ, varium & copiosum est, vt arctari paucis versiculis minime poßit. Et in huiusmodi rebus non minus est odiosa contractio, quã in paruis, simplicibus, ac ieiunis longitudo. Neq; is est breuis, qui pauca dicit, sed qui multa paucis comprehendit. Quo fit, vt paucorũ versuum epist. Iliade longior videri queat, si verba superuacanea sint & inania; & longißima breuis, si nihil otiosum ac redundans. Demetrius tamẽ de magnitudine epistolæ differens, eius lõgitudinem contrahi debere censet, sicut eiusdẽ locutio valde ornata & polita esse nõ debet. Statuit autem valde longas, & præterea inflatiores ac tumidiores quã oporteret potius libros vocãdos, quorũ principio apposita sit salutatio. Tales esse multas Platonis, nominatim illã ad Dionis propinquos, & vnã Thucydidis, & Aristot. ad Alexand. Maced. Verũ P. Victorius hos auctores excusat: eosq; non hoc verũ rectumq; esse, quod fecerant existimasse ait, vt erant prudentes & diserti viri: nec iudicio peccasse, sed cõmoda quædam sua tunc secutos fuisse. Cum enim argumentũ*

Demetrius de epistolarum longitudine.

Plato. Thucydides, & Aristotel. purgãtur.

 cæpissent,

cæpissent, quæ paucis exponi non possent, & ad absentes scriberent, necessario aliquo modo in hoc vitiũ incidebãt, Non multis interiectis subiungit. Deme-
Epist. 12. lib. 5. trio igitur illa etiam Cic. qua petijt à L. Lucceio, vt res suas gestas scriberet, epistola visa nõ foret, atq; id duabus de caußis, & quia satis longa est & quia est omni verbũ ornatu, sententiarumq; expolita. Adhibuit enim in ea scribenda stylũ eundẽ, quo vtebatur, cum domi orationes scriberet. Ipse tamẽ laudat eam
Epist. 6. lib. 4. Pomponio, bellamq; appellat, quod vere de ipsa predicare potuit. Addam illud coronidis loco. Si epistola potest esse quam longißima, & de quauis materia proponamus ergo salutationẽ l. de Officijs, de Ami-
Viues. citia, de Senectute, & mox fient epistolæ. quis autẽ hoc dixerit? Non igitur, quicquid salutationẽ habet, epistola dicetur, si naturam & ingenium epistolæ non habeat, sed melius sepe volumen aut liber. Tamen amicitiæ vis, & neceßitudinis arctior coniunctio interdum longiores, immo longißimas epi-
Epi. 2. & 20. lib. 9. stolas exiget. Est enim summi amoris, inquit Plinius, negare veniam breuibus epistolis amicorum, quamuis scias illis constare rationem. Et iterum. Tua vero epistola tanto mihi iucundior fuit, quanto longior. Demetrius, vt vides, longitudinem ab epistola remouet, Gregorius ea parte ab ipso videtur dissentire. Et quamuis in epistola sua vir sanctus nullam Demetrij mentionem faciat, tamen locum de epistola apud Demetrium legisse ipsum, & ad eum etiam sententiam iudiciumq; suum accomodasse in cæteris, P. Victoris asseuerat. La-

Laconicarum epiſtolarum exempla. Cap. VIII.

COmmodum fore duximus, ſi nō nulla tum græca tum latina exempla propter adoleſcētes proferremus earum epiſtolarum, queſummam haberent breuitatem, ſed elegantiæ tamen & leporis haud expertem. In quo genere principatum obtinent [a] Laconicæ, quarum nomen omnibus iam epiſtolis paucisſimorum verſuum commune factum eſt. A Laconicis ergo incipiamus.

Diſceptantibus Lacedæmonijs cū Argiuis de finibus, verboſiorem paulo epiſtolam illi Spartam miſerūt, minitantes, plurima ſe illis detrimenta illaturos, ni cederent. Lacedæmonij, vt quibus nil fere prolixa oratione foret odioſius, porro & illorum vanitatem non pili facerent, nihil prope aliud reſcribendum cenſuerunt, quam verbū vnum, αἴκα, ſi: velut inſinuarent, ſi poteritis, iſta re perficietis, quæ nunc timidius

Rhodigin. libr. 18. cap. 4.

Sic etiam Philippo Macedoni reſponderūt

midius promittitis. Demetrius, vbi de quarta dicendi forma, nempe vehemẽtia disputat, cola, seu mẽbra breuissima vt in quibus maior sit impetus, laudat. Exemplum adducit quãdam, si ita nominari fas est, epistolã Spartiatarũ ad Philippum Regem, qui, cum sapienter dicto arrogantẽ rationem Philippi vellent refellere: docereq́;, qui minaretur aliis, debere quoq́; ipsum aliquid timere exemplo opulentissimi hominis, qui in grauissimũ malum incidit, conditio nemq́; contrariã penitus superiori illi fortunæ, nihil scripserũt aliud, nisi: Διονύσιος ἐν κορίνθῳ. Docet igitur Demetri9 peccaturos tũc fuisse Spartiatas, finẽque suum impedituros, si diligenter rẽ narrassent: & quod inuolutum in paucis illis verbis erat, explicassent. Archidamus Lacedæmoniorum Imperator, cum in Arcadiam irrupisset, audito, hostibus Eleos ferre auxilium: scripsit illis in hunc modum. Archidamus Eleis. Quies bona. Nõ potuit breuius & suadere quod erat illis commodũ, & minari malum, si quid perperã aggrederentur

cum minatus esset, se pœnas ab ipsis expetiturum, si in Peloponesum uenisset.

Huius Dionysii M. Tull. 3. Tusc. & ep. 18. lib. 9. meminit.

Archidamus.

tur. Plutarchus refert, Athenienſes de clade quadam Lacedęmoniorũ litteras ad Ephoros intercepiſſe, eæ, vt ipſe recitat, erãt huiſmodi Ἔῤῥει τὰ καλὰ, Μίνδαρος δ' ἀπέσσυται, πεινῶντι τ' ἄνδρες. ἀπορέομες τί χρὴ δρᾶν. Effluxerunt præclarę res. Mindarus interijt, eſuriunt milites hæremus quid faciendũ ſit. Alexand. Philippi filio neſcio quid pluribus verbis petenti, reſponderunt hęc tantum: περὶ ὧν ἔγραψας, οὐ De quibus ſcripſiſti, non. immo, vt quidam confirmant, vnicam ſyllabam, οὐ, ſeu literam, υ. quæ olim vt u. gallicum pronunciabatur, hinc illud poëtæ. In Alcibiade.

Vna fuit quondam, qua reſpondere Lacones
Littera, & irato Regi placuere negantes.

Βροῦτος Περγαμηνοῖς.

b Ἀκούω ὑμᾶς Δολαβέλλᾳ δεδωκέναι χρήματα. ἃ εἰ μὲν ἑκόντες ἔδοτε, ὁμολογεῖτε ἀδικεῖν με· εἰ δὲ ἄκοντες, ἀποδείξατε τῷ ἐμοὶ ἑκόντες δοῦναι. Ex epiſt. M. Bruti.

Βροῦτος Βιθυνοῖς.

Αἱ βουλαὶ ὑμῶν ὀλίγωροι. αἱ ὑπουργίαι βραδεῖαι· τὸ τέλος τούτων ἐννοεῖσθε.

Κράτης τοῖς νέοις.

Ἐθίζετε ἑαυτοὺς ἐσθίειν μᾶζαν, καὶ πίνειν ὕδωρ. Epiſt. Cratetis Philoſophi.

ὕδωρ. ἰχθύων τε καὶ οἴνου μὴ γεύεσθαι· ταῦτα γὰρ τοὺς μὲν γέροντας ἀποθηριοῖ, ὥσπερ τὰ τῆς κίρκης φάρμακα· τοὺς δὲ νέους ἀποθηλύνει.

Ex epist. M. Tullij Ciceron. ep. 16. lib. 6.

Cicero Basilio S. D.

TIbi gratulor, mihi gaudeo, te amo, tua tueor. A te amari, & quid agas, quidq; istic agatur, certior fieri volo. Vale.

Cicero Terentiæ suæ S. P. D.

Epi. 21. l. 14.

SI vales, bene est, ego valeo. Da operam vt conualescas. Quod opus erit, vt res tempusq; postulat, prouideas atq; administres, & ad me de omnibus rebus quam sæpissime litteras mittas. Vale.

Cicero Attico S.

Ad Att. ep. 15. lib. 16.

IVcundissimas tuas legi litteras. ad Plautũ scripsi, misi: habes exemplũ. Cum Tirone quid sis locutus, cognoscam ex ipso. Cum sorore ages attentius, si te occupatione ista relaxaris.

Ex Plinio Secundo. epi. 32. lib. 9.

C. Plin. Titiano S.

In alijs. Quid agis? quid acturus es? ipse vitam iucundissimam, id est, otiocissimam viuo.

QVid agis? an quod ago ruri ipse? vitam iucundissimã? id est otiosissimam? Quo fit, vt scribere longiores epistolas nolim, velim legere. Illud, tamquam delicatus: hoc, tamquã ociosus. Nihil est enim aut pigrius delicatis, aut curiosius otiosis. Vale.

C. Plin. Saturnino S.

Ep. 38. lib. 9.

EGo vero Rufum laudo, non quia tu ita vt facerem petisti, sed quia ille dignissimus. Legi enim librum omnibus numeris absolutum, cui multum apud me gratiæ amor ipsius adiecit. Iudicaui tamen: neq; enim soli iudicant qui maligne legunt. Vale.

Ange-

Angelus Politianus Cæsari Carmento suo S.D. *Ex Angelo Politiano.*

COntemni te putas, quod non rescribo. Contemnerē, *Ep. lib. 7.* si rescriberem. Quos enim contemno, respondere his audeo vel occupatus, tibi nec otiosus.

Angelus Politian. Amico S.D.

IRasceris, quod iste me Simius carpit. Non ideo me car- *Ibidem.* pit vt carpat, sed vt sibi victū quærat homo famelicus apud quosdam, qui multum gaudent assentatoribus, plus tamen detractoribus. Vale.

Angelus Politian. Inuido.

INuides omnibus omnia, præter inuidiam. Sed & hanc *Ibidem.* inuides tuo compari, qui magis inuidus etiam quam tu. Sic inuidiam tibi non inuidet, quam tu illi tamen inuides. Ita rursus ille minus inuidus. Qui sitis, non dicam, ne miseriores faciam, quam nunc estis. Nam si nomen vestrum proferrem, nomen quoq; ipsum vobis inuideretis, nec vterq; vtriq; modo, sed & vterq; sibi. c Vale.

Angelus Politian. Laurentio Medici S.D.

CYgno poëta similis, vterq; candidus, vterq; canorus, *Ibidem.* vterq; fluuios amas, vterq; Phæbo gratus. Sed negatur canere cygnus, nisi cum Zephyrus spirat. Quid igitur mirum, si taceo tam diu tuus poëta, cum tu tamdiu non spires meus Zephyrus? Vale.

SCHOLIA.

a *Nulla gens olim æque amans & studiosa bre-*

uitatis fuit, quam Lacones. Chilon Lacedæmonius apud Ausonium in ludo VII. sapientum;

Spartanus ego sum Chilon, qui nunc prodeo,
Breuitate nota, qua Lacones vtimur.

Ex quo illa inter doctos vsurpantur, λακωνικῶς, λακωνίζειν, λακωνισμὸς de breui loquẽtia. Cum illa breuitate loquendi, iunctus erat plerumq; lepos quidam & acumen. Vnde λακωνικὸν ἀπόφθεγμα de breui & acuto dicitur. Illud item apud Græcos ferebatur, facilius multo esse philosophari, quam Laconicum sermonem imitari. Demetrius caussam affert, cur Lacones tantum studuerint breuitati sermonis; quia graues & acres videri volebant, parua autem membra huic rei apta sunt. Addit, superiores quoq; personas, ac præstantes dignitate viros, breuitatem amare, cum humilioribus agentes. Qui cum mandant aliquid ac pro potestate quam in illum habent, alicui quid præcipiunt, concise breuiq; id agunt. Erat nobis in animo, vt, quoniam de Laconicis epistolis nonnulla diximus, etiam de illo genere litterarum aliquid diceremus, quo ipsi vtebantur ad Imperatores suos, quibusq; sua consilia maxime occultabant, vt si ab hostibus interceptæ forent, nihil tamen illi cognoscerent, quæ Scytale dicebatur, sed mutauimus sententiam. Cui libet, Plutarchi Lysandrum, & A. Gellij cap. 9. lib. 17. legat, ex quibus auctoribus rem totam plane discet.

Rhodigin. lib. 18. cap. 14.

Lacones cur amarint breuitatem.

Scytale.

Brutus

Brutus Pergamenis.

b *Intelligo vos Dolabellæ pecunias dedisse: quas si vltro dedistis, vos mihi iniuriam facere confiteamini: si inuiti, id ostendite, dantes mihi vltro.*

Brutus Bithynis.

In consilijs capiundis negligentes, in præstãda opera tardi estis: quis horũ futurus sit exitus, cogitate.

Crates adolescentibus.

Asuefacite vos ad comedendũ panem cibarium, & bibendam aquam, pisces autem & vinum ne gustetis: hæc enim cum senes tamquam venena Circes efferatos reddunt, tum adolescentes effæminant.

c *Amphibolon est. precatur autem tale quippiam Inuido Politianus, quale apud Terent. Pamphilus. valeant,*

Qui inter nos dißidium volunt. — *In Andria.*

Quod verbũ Donatus exponit, abeant, recedant, pereant. hoc vtimur, cum reijcimus quæ aut absunt aut non iuuant. Cic. de Nat Deor: Si Deus talis est, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat. vide Lamb. in ep. 1. lib. 2. apud Horat. & Seruium in 11. Æneid. ad illum versum: Salue æternum mihi maxime Palla, Æternumq; vale.

Qui epistolas breues, easdemq; argutas, iucundas & politulas requirit, librũ illum epist. græcarum, ab Aldo Manutio iam pridem typis excusum voluat, & animum suum suauißima lectione reficiat. Vidimus quoq; libellum nuper, in quem ex Cicerone, Plinio, & Græcis huiusmodi breuiores epistolæ collectæ erant.

De perſpicuitate epiſtolæ. Cap. IX.

De perſpicuitate Quintil. lib. 8. cap. 2.

IN omni oratione [a] præcipuam meretur laudem, primaque virtus eſt perſpicuitas, vt multo libentius ignoſcendum videatur, ſcriptori inculto, aperto tamen atq; dilucido, quã politiſsimo quidem, ſed implicato & obſcuro. Nam ille ſuperior minus iudicatur effugere vitium potuiſſe, cum plærunq;, quos inelegantes & inquinatos, eoſdem impeditos & implicatos, & quos ornatos atq; nitidos, eoſdem maxime perſpicuos in ſcribendo cernamus. Danda igitur eſt opera diligens, vt quæ ſcribimus, ab alijs intelligantur. Quamobrem fugienda ſunt uerba priſca, inuſitata, impropria, poëtica, dura atq; barbara, quibus auctores quidam iam olim latinum ſermonẽ [b] deformarunt, & miſerabiliter omnem illius ſplendorẽ obſcurarunt. Fugiendi archaiſmi, quales apud Plautum præſertim multi leguntur: nec, quia

Apulleius, Fulgentius, Sidonius Appollinaris, Capella & alij.

quia latinitatis magiſter optimus, & ad familiarem quotidianamq́ collocutionem, cuius imago eſt epiſtola, peraccomodat⁹ habetur ille Comicus, idcirco quiduis Plautinum ſiue comicũ in noſtra ſcriptione vſurpabimus. Quod quidam propemodum facere hac ætate cæperunt, qui in orationibus ſcribendis Ciceronem proponere ſibi ducem velint, [c] Plautum in epiſtolis. Nobis iſti, vt ait Lucretius, *Plautizantes.*

Magnopere à vero longeq́ erraſſe videntur.

Illud tamen ſciendum, non ſtatim obſcurum eſſe, quod aliquis parum litteratus, & in bonis probatiſq́ ſcriptoribus minimum verſatus non intelligit. Sunt etiam, qui tenebras ſe inuenire queruntur in alienis ſcriptis, quas ipſimet ſecum attulerunt. Præterea, eruditorum & familiarum hominum epiſtolę, ſolent eſſe minus claræ: illorũ, propter varias alluſiones, [d] amphibolias, ellipſes, prouerbia, iocos, ænigmata, ſententias reconditas & abſtruſas, horum, præcipue propter breuitatem *Aduorte animum.*

tem, & res ipsis inter se tantum notas. Vtraq; de causa difficiles sunt ad intelligendum ep. M. Tullij ad Atticum.

Gregor. Nazianzenus de epistolæ perspicuitate hunc in modũ præcipit, De perspicuitate illud cõstat, oportere, qui elaboratum vitet, quantum oporteat, magis ad id, quod cõmunius est, inclinare. Et, vt complectar paucis, optima est & pulcherrima epistola, quę tum indoctum, tum etiam eruditũ persuadere posit: indoctum, vt ad multitudinem scripta: eruditum, vt multitudinis captum superans. Item, quæ sua sponte intelligitur. Æque enim absurdum est, & griphos considerare, & epistolam interpretari.

SCHOLIA.

a Quod enim non intelligitur cum dicitur aut legitur, perinde est ac si non dictum aut scriptum esset. *fertur D. Hieronymus Persium poëtam Satyricum in ignẽ propter a coniecisse, quod eum legens propter obscuritatem non posset intelligere. Quidam de industria obscure locuti sunt, vt Aristoteles, qui sua mysteria noluit à quouis etiam ignauo cognosci, & Heraclitus Physicus, qui de natura nimis obscure* memo-

D. Hieronym. combusit Persium.

Aristot. & Heraclitus obscuri.

memorauit σκοτεινὸς cognomentum adeptus est. Hoc Cicero arbitratur sine reprehensione fieri, si videlicet de industria id facias, quemadmodũ etiam, si rerum obscuritas, non verborum faciat, vt non intelligatur oratio: qualis est in Timæo Platonis. 2. definib.
Nos nihilominus ab epistola omnem prorsus obscuritatem, ipso quoq; Cicerone haud inuito abesse oportere iudicamus. [b] *Profuerit legere priorem libellum Adriani Cardinalis de sermone latino, vbi de ætatibus siue sæculis linguæ latinæ disputatur.* [c] *Plautum esse aptiorem, siue, vt quidam Plautinus loquitur, idoneorem ad imitandũ, quam M. Tull. in scribendis epistolis, nemo hactenus tam imprudens (ne quid grauius mihi excidat) inuentus est, qui contra doctorum omnium opinionem auderet affirmare. Vnus nuper, etiamsi alioqui imperitus & rudis bonarum litterarum minime sit, tam proiecte audax fuit cuius sententia, tamquam Stoicum aliquod paradoxon habeatur, immo vero exsibiletur, & penitus contemnatur.* [d] *In hac voce vt in permultis alijs, quarum vsum latina lingua retinuit, à doctis & indoctis hodie peccatur. non enim amphibologia, sed amphibolia dicendum & scribendum est, amphibologos, non est vox græca, vnde illud amphibologia deflecteretur. plura de hac ipsa voce contra imperitos ab alijs disputata sunt.*

Ecquid etiam græcas voces, & quando epistolis admiscere possimus. Cap. X.

Ta-

TAmetſi adeo demens & inſanus nemo ad huc reperiri potuit, qui græca latinis inſerere, in epiſtola potiſsimum, fas ac licitum eſſe negaret, exiſtunt tamen, & extiterunt non ita pauci, qui id fieri aliquanto ægrius paterentur, adoleſcentumq; animos neſcio qua inepta prorſus religione obſtringerent, & interdum dicenda mallent prætermittere, quam græce quicquã proloqui. Iſti nobis M. Tull. opponunt, apud quem eſt in 1. Tuſcul. his verbis. Dicam ſi potero latine, ſcis enim me græce loqui in latino ſermõe nõ plus ſolere, quãin gręco latine. Hoc approbans Auditor: & recte quidẽ, inquit. Idẽ in 1. de off. præcipit eo ſermone vti nos debere, qui notus ſit nobis, ne verba græca inculcantes iure optimo irrideamur. Præterea, Q. Horatius eos reprehendit, qui [a] Lucillium poëtam Satyricum idcirco admirabantur, quod verbis latinis græca miſcuiſſet: perinde ac ſi ſermo lingua concinnus vtraq; ſuauior eſſet. Adde A. Perſium

μισέλληνες

Sat. vlt. li. 1.

ſium eos poëtas vituperantem, qui ad aucupandum doctrinæ nomen idem factitabant, quod Lucillius. Nugari ſolitos græce &c. Iuuenalis quoq; huiuſmodi ſermonis græci affectatores iracundius carpit: *Saty. 1.* *Saty. 6.*

omnia græce,
Cum ſit turpe magis noſtris neſcire latine.
Hoc ſermone pauent, hoc iram, gaudia, curas,
Hoc cuncta effundunt, & quæ ſequuntur.

Nunc, quid ad hæc reſponderi poſſit, conſideremus. Principio quod ad Ciceronē attinet, quam ille multis vocabulis græcis paſsim in ſuis monumentis ſit vſus, Gulielmus Budęus vir ingenio & doctrina celebris copioſe oſtendit, qui non verſuras modo fecerit à græcis, ſed etiam, quæ mutuatos eſſe maiores ſuos nouerat, quæq; idem ipſe tamquam vtenda rogauerat, ab iurare poſteritatem ſuam docuerit: pro ſuiſq; tueri, & poſsidere. In epiſtolis autem integras ſententias enuntiat, & ad Atticum paucisſimę ſunt ſine vocibus græcis. Intelligendum eſt igitur, *Comment. linguæ græcæ.*

frequentiam & crebritatem, & minime necessariam græcorum nominum sententiarumq; inculcationem prohiberi. Cæterum in Tuscul. disput. quos libros legi & cognosci volebat ab omnibus, etiam qui græce nescirent, merito à græcis abstinuit. Eodem modo ad poëtas qui proferebantur, responsum esto.

Quando & quomodo græcis vtendum.

Superest, vt doceamus, cum fieri possit, quando & quomodo faciendum sit, iudicio enim opus est, ne peccemus.
I. Primum, si vel in sententia, vel in verbo græco inest aut graue, aut argutũ, aut suaue, aut iocosum, aut demum eiusmodi aliquid, quod latine elatum, festiuitatem vimq; suam amitteret. Norunt profecto græce docti, quam illa omnium pręstantissima lingua, talium Gratiarum ac venustatum omnes penus omnesque cellas refertas habeat.
II. Tum, si quid exprimi, nisi fortasse barbaro, & latinis auribus inaudito vocabulo non posset: hic nostram egestatem græcorum copia subleuabit. Item,

apud familiares eosdemq; eruditos, III.
quibus multa paucis per alluſiones ad
hiſtorias, fabulas, per dicta ſapientum,
verſiculos poëtarum, prouerbia, & in-
ſinuationes ſignificare velimus. Quas
ad res, mirum dictu, quantam nobis
det facultatem lingua græca. His de
cauſsis tam ſæpe ad Att. ſcribens M.
Tullius græcas voces vſurpat, & Paul.
Manut. ad Muretum frequentius, quã
ad alios ἑλληνίζει, vt obſeruauimus.

Cicero porro, cum græcam ſenten- *Paul. Manut. comment in epiſt. 9. lib. 1. ad Q. F.*
tiam adducit, fere aut prima tantum
attingit verba, reliqua tamquam nota
prætermittit: aut ita totum recitat, vt
aliqua tamen mutatione ad id quod ſi-
bi propoſitum eſt, accõmodet. Vtriuſ-
que generis plenę ſunt epiſtolę. Exem-
pla omnium quæ diximus, non graua-
remur adiungere, niſi iam ſatis creuiſ-
ſe diſputatiunculam noſtram videre-
mus, & niſi longiore ſermone opus eſ-
ſet. Magiſtri vtriuſq; linguæ vel me-
diocriter gnari, quod nos omiſimus, in-
ter docendum præſtabunt, & exempla

è Cicerone potiſsimum, & Plinio Secundo depromenť.

SCHOLIA.

a *Lucillij verſus, in quibus verba græca latinis miſcuit, hi recitantur in Orat. perſ.*

Quã lepide lexes compoſtæ, vt teſſerulæ omnes,
Endo pauimento, atq; emblemate vermiculato.

Et in 2. de finib.

In quo Læliu' clamores ſophos ille ſolebat.
Edere.

Et 3. de Orat.

Craſſum habeo generum, ne rhetoricotero' tu ſis,

Quod P. Victorius caſtigationibus ſuis in epiſtolas, pag. 426. Ciceronem aſſerit nunquam fere græcas voces in ſermone Romano vſurpare, niſi cum latinas non habet, quæ id quod vult plene & perfecte exprimant (pace ipſius dicere liceat) non eſt verum. Nam cum nulla pæne ſit ad Atticum, in qua non græcum aliquid appareat, quis crediderit, toties inopia verborum latinorum laboraſſe M. Tullium, hoc eſt, ipſum fontem ſitiuiſſe? quid multa? In rem præſentem iri poteſt, & quam falſo tantus vir id affirmarit, innumeris locis perſpici. Ergo cum hanc quam ponit Victorius, tum illas ob cauſas, quæ ſu-

pra recensitæ sunt, Cicero in epistolis suis græcas vo-
ces & sententias adhibuit. Animaduersione porro
haud indignum est, epistolam 15. lib. 13. nouum
genus litterarum ab ipso Cicerone vocari, non solum
ob interpositos græcos versus, sed etiam, ob nouo
quodam modo, & crebrius interpositos.

Quærat aliquis, vtrum in latina epistola, non graeca modo, sed Germanica item, Gallica, Hispanica, aut cuiuspiam alterius barbari idiomatis vocabula atq; versus inserere concessum sit. Quidam huius rei potestatem nobis largiuntur, asserẽtes, M. Tullium non quod lingua græca elegans & exculta esset supra cæteras, idcirco res arcanas illa contexisse: sed quod Attico nota esset. Quod si aliam quandam à Romanorum vsu remotiorem sciuisset Aticus, eam ipsam vsurpaturum fuisse Ciceronem, in rebus, quas nolebat euulgari. Nos totum hoc in medio relinquimus, & vt magnopere non probamus, sic non valde reprehendimus. Illud satis inconsiderate dictum est, tantummodo arcanorum occultandorum gratia vocibus græcis M. Ciceronem vti voluisse. Quæstio. Viues.

Quid siquis Gallice aut Germanice scribat, num alîus cuiuscunq; tandem linguæ vocabula & dicta vsurpare poterit, ob easdem rationes, ob quas in capite explicatum est? Nullam hic absurditatem videmus aut ineptiam modo is ad quem litteræ mittuntur, huiusmodi mysteria bene & facile intellecturus existimetur. Quæstio.

Omnibus ne in rebus epiſtola verſetur. Cap. XI.

PRopriam eſſe materiam epiſtolę, & non omne argumentum per eam commode explicari poſſe, cultiſsimus grauiſsimusq́ ſcriptor Demetrius Phalereus ex auctoritate Ariſtotelis, quem ipſe veram & legitimam epiſtolæ ſcribendæ formam conſecutum eſſe arbitratur, ac Simplicius quoque commentariis in categorias affirmat, oſtendere conatur. Ariſtoteles igitur in epiſto. quadam ſua hoc ipſum ſatis docuerat, cum ita ſcripſiſſet: τοῦτο δὲ οὐ γράφω σοι: οὐ γὰρ ἦν ἐπιστολικόν. hoc autē non ſcribo ad te: non enim epiſtolæ accomodatū eſt. Quare, inquit Demetrius, ſi quis epiſtola ſua [a] acutas diſputationes perſequatur, quales fuerunt eorum, qui Sophiſtæ dicebantur, ſiue naturæ ipſius rationem explicet, hic nequaquam epiſtolam ſcribere dicendus eſt. Scriptio enim quædam humanitatis illecebrarumq́ plena debet eſ-

Ariſtoteles perfectus in ſcribenda epiſt.

Pulchrum præceptum.

ſe

se epistola, & illa quidem breuis & simplicis cuiusdam rei expositio, eodemque pacto simplicibus nominibus texi. Et paulo post, cum declarare vellet, in quã culpam incideret, qui tamquam sententias cuderet, dum scriberet epistolam; & aliquem accurate quopiam impelleret autoritate sua, inquit. Qui autem sententias edit, & suadet aliquid, non ei similis est, qui per epistolam loquatur, sed per machinam, hoc est, per instrumentum quoddam, quo in scenam personę Deorum repente descendebant. Proprium ergo putat Demetrius præstantissimæ illius naturæ, pręcipere hominibus, quid facto opus sit, & quæ sequi illos oporteat in uita, aut fugere. Addit P. Victorius explanator. Hinc igitur percipitur, euoluta vi naturáque epistolę, quantopere peccent illi, qui res obscuras, & remotas à sensibus hominum communique vita, includebãt in epistolis. Epicurus autem in eam culpam potissimum incidit, vt intelligere licet ex scriptis Laertij, qui-

Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς.

Epicurus notatur.

epistola debet esse contexta simplicibus verbis

bus vitam ipsius subtiliter persecutus est: nouam enim illam suam rationem cum integris voluminibus antea copiose explicasset, de iisdem rebus scripsit postea ad amicos nonnullas epistolas, quibus erudire ipsos voluit, & tradere paucis disciplinam illam, cuius ipse princeps & auctor fuerat: hoc enim ipsi sedulo ab eo petierant, qui vellent degustare præcepta primo illo tẽpore mirifice grata & accepta hominibus. Leguntur autem tres huiuscemodi epistolæ illic: quarum prima est ad Herodotum de rebus naturalibus. Secunda ad Pythoclem de rebus superis. Tertia ad Menæceum de rebus bonis & malis.

περὶ τῶν φυσικῶν, περὶ τῶν μετεώρων, περὶ τῶν βιωτικῶν.

SCHOLIA.

Seneca.

Ficinus.

[a] *In eadem naui est Seneca maior, cuius epistolæ, quid sunt aliud, nisi volumina de Philosophia? & Marsilius Ficinus, qui in epistolis suis de Platonicis quæstionibus perpetuo fere disputat. M. Tull. moralis Philosophiæ locos (ei enim mirifice deditus fuit) grauißimos sæpe inserit. Immo etiam aliquoties Physica attingit. De Repub. vero sapientißi-*

me

me elegãtißime loquitur tam crebro, vt si illius sententias congerere velimus, non sit futurus modus. Verum aliud est tota epistola de re difficili, obscura, minime in vulgus nota disserere, aliud ipsam grauiter & erudite dictis interdum aspergere. hoc aut vitiosum non est, aut longe minus quã alterum, viciosum. Quod si doctrina Demetrij vera est, vt ego quidem bona ex parte, si non omnino, veram esse mihi persuadeo, multi hodie in errore magno hærent, qui epist. eruditas quærunt, & nisi quæ ingeniosa, plena rerũ & argumentorum sit, legere non dignantur. cũ tamen, vt audiuimus in hoc ipso capite, epistola scriptio quædam humanitatis illecebrarumq́ plena esse debeat, breuis & simplicis cuiusdam rei expositio, & simplicibus nominibus contexta. Istuc profecto non erit, nec esse poterit, si de abstrusis, Philosophicis, Theologicis aut Medicis, similibusq́ de rebus conscribatur. sed hæc lectori cupido veritatis sufficient: contentionis amantibus nihil sufficit. Nos & præceptum Demetrij intuentes, & optimorum scriptorum presertim M. Tullij, C. Plinij Secundi, Pauli Manutij epistolas perpendentes, quas res epistolis committendas putaremus, dubium amplius non habemus.

Error communis.

De tribus epistolarum characteribus. Cap. XII.

Cicero in Orat. perf. Quintil. lib. 12. ca. 10. Q. Cornif. li. 4. Demet. Phalereus.

SIcut in omni oratoria elocutione tres ſunt dicendi figuræ, grauis, mediocris, humilis, ſic varij ſunt epiſtolæ characteres, longe tamen ab illis (ſi doctis quibuſdam viris credimus) diuerſi : cum illis hi inferiores ſint. Pro qualitate enim materiæ de qua agitur, & perſonæ cui ſcribimus, vel grauiter, vel ſummiſſe, vel moderate ſcribendum eſt.

Figura attenuata.

Nam iocoſæ & familiares epiſtolæ, & quæ de domeſticis rebus tractant, vel ad eos, quibus ſcribimus, ſpectantibus, in humili genere conſtituuntur. Ideo nullam his adhibēdam eſſe artem, & ſine cultu ſcribendas multi admonent: quinimmo, quotidianis texendas eſſe verbis, & plebeio vtendum ſermone, Cicero, Seneca & alij docent,

Figura ſublimis. Vide Quintil li. 9. ca. 4.

Cum autem de Philoſophia, de religione, de Deo alijſq; huiuſcemodi argumentis grauibus (de quibus certe, quid Demetrius ſenſerit ac ſtatuerit, iam didicimus) quicquā ex ponimus, in ſummo ſcribendæ ſunt genere: verum

rum ita, vt ex Ciceronis auctoritate, nihil ſimile habeant, aut iudicio, aut concioni. *Ep. 21. lib. 9.*

Commẽdatitiæ vero, & quibus vel accuſamus, excuſamuſq́ue, vel petimus, vel gratulamur, vel aliquid hoc genus facimus, mediocrem figuram deſiderant: modo ne ad principes & magiſtratus, ad doctos & graues viros ſcribantur, tunc enim grauitatem quandam potius flagitare, quam hoc temperamentum videntur. Quales enim putemus fuiſſe epiſtolas illas, quibus viri eloquentes & docti, atq́ue ipſe in primis Ariſtoteles Alexandrum Magnum, incenſum cupiditate veriſſimæ gloriæ, cohortabatur ad decus? Iam vero, quæ leguntur Demoſthenis ad Philippum, habere eas quiddam amplum, longeq́ue diſtare á communi ſermone, negari non poteſt. Nec deſunt Ciceronis in hoc genere nonnullæ, vt illa ad Lucceium lib. 5. Fam. de ſui cõſulatus hiſtoria ſeparatim componenda: & illa ad Dolabellam lib. 9. qua ei de *Figura temperata.* *Ald. Manut. de quæſit. per epiſto. lib. 3.*

1. Philipp. de ſublata columna & iis, qui eam Cæſari mortuo, tamquam Deo, in foro erexerant, ſupplicio affectis, gratulatur.
Ep. 9. lib. 1. In illa vero ad Lentulum, quæ incipit, Periucundæ, partes multę ſunt, in quibus aliquanto maior vel verborum copia, vel ſententiarum ſplendor apparet, quam dialogi ratio, & natura poſtulet. Age, quid in ea dialogo ſimile reperitur, in qua M. Brutus Ciceronem accuſat, quod ſuppliciter nimis, ac demiſſe, ad Octauium ſcripſiſſet? Verum hoc, quicquid eſt licentiæ, prudentia moderatur: tempus, perſonarum dignitas, res ipſa, quouſque progredi liceat, oſtendit. Proprie vero ſimplici ſtilo contentæ ſunt epiſtolæ. Ne mireris igitur, ſi epiſtolas de pace ſeu bello ſcriptas â nonnullis in graui genere poſitas inuenias, ab aliis in mediocri. Nam in eodem etiam argumento, in quolibet epiſtolarum genere nõ ſemper (vt docti aſſerunt) eodem vtemur ſtilo: ſed modo tenui, modo graui, modo medio, & rei naturæ inſeruientes,

entes, & temporibus ipſis, & perſonarum dignitati, tum noſtrarum qui ſcribimus, tum eorum ad quos ſcribimus.

Proprie tamen & ſimplici argumento, & ſimplici ſtilo contentæ ſunt epiſtolæ. Recte, & feſtiue Cicero ad Pætum: Quid tibi ego videor in epiſtolis? nonne plebeio ſermone agere tecum? nec enim ſemper eodem modo, quid enim ſimile habet epiſtola aut iudicio, aut concioni? quin ipſa iudicia non ſolemus omnia tractare vno modo: epiſtolas vero quotidianis verbis texere ſolemus. Idem tamen, qui hoc præcipit, non vſquequaque ſeruat ſuam regulam: indulget enim ingenio nonnumquam, & epiſtolas concinnat, atque ornat verbis aliquanto illuſtrioribus, quam quæ populo familiaria, & communi ſermone trita ſunt. Sed hoc eiuſmodi eſt, vt, immodice, ac temere ſi fiat, faſtidium pariat, & in reprehenſionem incurrat, ſin modice, & loco, delectet ſine ſatietate, & laudem aſſequatur. *Ald. Manut. lib. 3.*

tur. Decet igitur idem, & dedecet, pro vtentis ingenio, quod aliis quoq; rebus contingit. Hac virtute vel solus inter Latinos, vt mihi quidem videtur, vel certe maxime omnium Cicero excelluit. Demosthenem quidem ita vicit, vt cōparatio nulla sit: quod Quinctilianus quoq; vidit.

SCHOLIA.

Oratores variis dicendi generibus vsi sunt, vt in 2. de Orat. & Orat. perf. M. Tullius ostendit. Quanquam vero inter orationes & epistolas magnū est discrimen, tamen ab illis ad has, aut saltem ad locos aliquot harum, transferri omnes illas tres dicendi formas grauem siue amplam, tenuem, & mediam nemo, opinor, negabit. Et licet verum videatur illud; epistolas quotidianis verbis texere solemus, & plebeio sermone agendum esse, tamen ipsemet Cicero aliquando verborum fulmina adhibuit, Lib. 9. ep. 21. *sic enim exorditur epistolam ad Papirium Pætum: Ain' tandem? insanire tibi videris, quod imitere verborum meorum, vt scribis fulmina? Sane cum tam varia sint epistolarum genera, scriptionem quoque earundem variam esse rationi cōsentaneum est. Quis enim nescit eum qui familiariter iocatur, alio dicendi charactere vti, quam eum qui seuere grauiter*

terq;

terq́ scribit? Immo sicut non vno modo iocamur, ita non in omnibus iocosis literis vna est orationis forma: & vt non est vnum earum litterarum quæ serio grauiterq́ scribuntur argumentum, ita non idem omnino in vnaquaq́ earum genus orationis oportet adhibere. Quemadmodum enim ipse Cicero non omnia iudicia vno modo tractari solere dicit, sed priuatas caussas & eas tenues, agi subtilius: capitis aut famæ ornatius: sic non omnes epistolas graues, in quibus vel de Repub. vel de alia quapiam magni momenti re agitur, eodem sermonis genere scriptas esse, sed quibusdam multo plura esse adhibita elocutionis ornamenta existimandum est, quin etiam quemadmodum oratorum bonorum duo esse genera scribit in Bruto ipse Cicero, vnum attenuate presseq́, alterum sublate ampleq́ dicentium, ita fortasse quarundam etiam epistolarum sermonem attenuatum ac pressum, quarundam sublatum esse dicere possumus. Demetrius narrat permutatis personis, mutari etiam aliquantulum debere stilum rationemq́ omnem scribendi. Si fuerint scilicet illæ inter se magno interuallo discrepantes, vt sunt regum atq́ opulentissimorum virorum siue ciuitatum nationumq́ ac priuatorum hominum. Sic enim inquit. Quia autem & ciuitatibus aliquando & regibus scribimus, sint sane huiuscemodi epistolæ paulum elatæ: proponere enim sibi oportet eum, qui scribit, personam eius ad quem scribit: efficereq́ vt illa ipsi respondeat.

Epist. 21. lib. 9.

Episto-

Epistolarum complura esse genera. Cap. XIII.

IAm, quo melius & facilius epistolarum artem percipere possimus, ad ipsarum genera descẽdere operæprecium duxi. His enim cum suis partibus cognitis, ipsorumq́ꝫ artificio perspecto, breui temporis curriculo, nõ modo scholasticas, quas appellant, vmbratilesqꝫ epistolas, à præceptore dictatas, optime nobis conficere licebit: verum etiam nostro Marte, vel meditati, vel ex improuiso per fertiles & amœnos epistolarũ campos, mira quadam animi nostri delectatione vagabimur, non sine maxima omnium admiratione. Nam licet, vt dictum est, nullam artẽ ex intimis Rhetoricorum prę ceptis exromptã amet epistola: quoddam tamen artificium, non solum ex natura natum, sed ex ipsa etiam Rhetorica excerptum, in Cic. Plinij, aliorumq́ꝫ clarissimorum virorum epistolis obseruatum, non aspernari videtur.

Plin. ep. 2. l. 9.

Quod

Quod quidem sua ferè sponte, vel negligenti quadam diligentia à nobis requisitum, sese offerre solet. Epistolarũ igitur genera varia esse, varij dixerunt, alij tria, alij viginti, alij quadraginta, octoginta alij, alij tot demum epistolarum genera esse scripserunt, quod sunt materiæ, quæ quotidie eueniunt, de quibus dici potest, quæ quidem sunt infinitæ. Si in medium afferre omnia vellem omniumq; opiniones recensere, & dies fortasse, & oratio me deficeret. Quamobrem de illis tantum disputandum esse censeo, quæ frequentiora sunt, ad quæ cætera, si plurima esse voluerimus, referri possunt, & de quibus ab omnibus fere, qui de conscribendis epistolis longa volumina scripserunt, dictum quam optime quamq; diligentissime fuit. Impetrare hoc loco à me nõ possum, quin pulchram sane & eruditam epistolarum distributionem ex Aldo Manutio Pauli F. ad verbum ad scribam.

Duo epistolarum genera sunt: quorum

De quæsit. per epist. lib. 3. rum alterũ græce ἠθικὸν, alterum πραγματικὸν, vocatur: nos morale, & negotiale possumus appellare. Omnium enim epistolarum argumenta vel à negotio, vel ab officio, tanquam à duobus fontibus deducuntur.

Negotiales. Negotiales, quo res in statu sit, siue nostra, siue aliena, siue priuata siue publica, significant. nec, si quæ sunt, in quibus aliqua de re disputatur, ab hoc genere disiungo. nostrum enim negotium videtur esse, si vltro scribimus: aliorum si rogati. Quanquam disputationes remouet ab epist. scriptor egregius Demetrius, at non Latini. Nam Varro quæstiones multas epistolis explicauit, vt Gellius & Carisius docent: & Valgius Rufus, vt idem Carisius ostendit, scripsit de rebus per epistolã quæsitis, qua nos quoq; inscriptione delectati sumus.

Morales. Morales officium potius quam negotium, continent. quod genus late patet. Hinc enim emergunt, quæcunque aut humanitatis, aut beneuolentiæ, aut alicuius omnino virtutis aliquam

quam ſignificationem habent: vt commendatitiæ, conſolatoriæ, lętitiam aut dolorem indicantes, admonentes, hortantes, querentes, obiurgantes, gratias agẽtes, rẽ vt ſummatim cõplectar, quæ materiam à negotio non ſumunt.

Tertium quoddam genus, ex vtroq; miſtum reperiri non negauerim: ſed hoc vt æqualiter ex vtroq; cõſtet, id eſt vt eæ cauſſę, quę ad ſcribendum adduxere, graues æque ſint, nec morales negotialibus, aut negotiales moralibus vincantur, per quam raro ſolet euenire. Quod ſi morale, aut negotiale in epiſtola miſta excellet, (quod autem, vt ea ſcriberetur, vehemẽtius impulit, id dico excellere) quis dubitet, quin, quæ res in ea plus habet ponderis, eadem ei nomen tribuat? Non enim in aſsignando genere vel partes nominãdę ſunt, vel longitudinis habenda ratio eſt: poſſunt eſſe plures morales partes, quam negotiales omnes: nec tamẽ ad morale genus epiſtola pertinebit. Quo enim (vt iam dixi) præcipue ad *Miſtæ.*

ducimur ad ſcribendū, id ſiue multis, ſiue paucis verbis exponatur, epiſtolas facit aut negotiales aut morales. Ac morales quidem in ſimplici plærunque verſantur argumento: ſuisque quaſi finibus contentæ, negotialem materiam non attingunt: negotiales contra, non quia neceſſe ſit, ſed quia deceat, morale ſæpe aliquid aſſumunt. Poſſum probare exemplis, poſſum auctoritate eorum, qui de epiſtolis præcepta tradiderunt: ſed ipſa quoque in promptu ratio eſt. Quis enim cum ſcribit, quod vel ſua, vel eius ad quem ſcribit, interſit, aliquam rei perficiendæ cupiditatem non exponit? quis ad ea quæ reſtant, curam & diligentiam non pollicetur? quis aut confecto negotio non lętatur: aut deſperato, non dolet? quæ interdum grati animi, humanitatis quidem ſemper ſigna ſunt. Moueor etiam non leuiter auctoritate Demetrij, ſcriptoris accurati inprimis & docti: Πλεῖστον, ait, ἐχέτω τὸ ἠθικὸν ἡ ἐπιστολή, ὥσπερ καὶ ὁ διάλογος: σχεδὸν γὰρ εἰκόνα ἕκαστος τῆς ἑαυτοῦ ψυ-

Negotiales ſæpe aſſumunt morale.

χῆς

χῆς γράφει τὴν ἐπιστολήν. Plurimum habeat epiſtola moralitatis, ferme enim vnuſquiſq; imaginem animi ſui ſcribit epiſtolam. Exempla vero Ciceronis ad Lentulum ſcriptæ epiſtolæ ſuppeditant: negotiales enim omnes fere ſunt: & his tamen morales Cicero libenter admiſcet, nimirum officij cauſſa: vt, in patriam opera ac virtute Lentuli reuocatus, tanti beneficij memoriam, & remunerandi ſtudium declaret.

SCHOLIA.

M. Tullius epiſtolam quandam ſic orditur. Epiſtolarum genera multa eſſe non ignoras: ſed vnum illud certiſſimum, cuius cauſſa inuenta res ipſa eſt, vt certiores faceremus abſentes, ſi quid eſſet, quod eos ſcire aut noſtra aut ipſorum intereſſet. Huius generis literas à me profectò nō expectas. tuarum enim rerum domeſticarum habes & ſcriptores & nuntios: in meis autem rebus nihil eſt ſane noui. Vbi mens eius nō fuit, quotquot eſſent epiſtolarum formas recenſere, cum non harum modo, verū & aliarum pæne omnium quæ in hoc libro tractantur pulcherrima exempla apud ipſum liceat inuenire. & epiſtolæ 13.

Ep. 4. lib. 2.

Cicero noluit 3. ſolum epiſtolarum genera ponere.

lib. 4. hoc est initium. *Quærenti mihi iam diu, quid ad te potißimum scriberem, non modo certa res vlla, sed ne genus quidem literarum vsitatum veniebat in mentem. Vnam enim partem & consuetudinem earum epistolarum, quibus secundis rebus vti solebamus, tempus eripuerat: perfeceratq́; fortuna ne quid tale scribere possem, aut omnino cogitare. Relinquebatur triste quoddam & miserum, & his tētemporibus consentaneum genus litterarum id quoque deficiebat me, in quo debebat esse aut promißio auxilij alicuius, aut consolatio doloris tui.* Viden' hîc gratulatorias, pollicitatorias, consolatorias epistolas satis aperte indicari? Voluit autem quiddam dicere & concludere Cicero ibidem, cui conclusioni seu complexioni hæc diuisio tripartita satis idonea videbatur. Cæterum, non ita absurde sentiunt, qui alias omnes species ad tres illas, de quibus Cicero dixit, reuocari posse arbitrantur, & quæ ad primum genus rediguntur necessarias; quæ ad secundum, iucundas: quæ ad tertium, vtiles vocant. Recte enim epistolas quibus certiores facimus absentes si quid sit quod eos, & quæ sequūtur, necessarias appellabimus, familiares autem & iocosas merito iucundas: seueras & graues optimo iure vtiles esse dicemus. Quoniam igitur reuocari posse affirmauimus, videamus, quo pacto id commode fiat.

Reliquas formas posse reuocari ad 3.

Ad tertiam.

In seueris igitur & grauibus primum tenent locum Consolatoriæ, in quibus philosophicis sententijs

maxime locus est, cum sapientißimi viri in consolando libenter ac multum versati sint, & sit potius grauißimi hominis, quam cuiusuis alterius, consolari. Huc pertinent Obiurgatoriæ siue Reprehensoriæ, Expostulatoriæ, Accusatoriæ, Hortatoriæ, Dehortatoriæ, Excusatoriæ, Exeprobratoriæ, Inuectiuæ, &c. Ad secundum genus, earum nimirum, quæ ab ipso Cicerone familiares nominantur, pertinere dici possunt, Gratulatoriæ, Lamentatoriæ seu Flebiles tum præsertim, cum non nostras ipsi calamitates sed amici, de ploramus. Immo etiam tum, quum nostras ipsi miserias lugemus ac deploramus, nostrũque dolorem, gemitus & lacrymas in sinum amici velut effundimus, familiarium nomine comprehendi poterunt. Huc item referuntur Commendatitiæ, Deprecatoriæ, Petitoriæ, maxime cum hoc genus, illæ duæ quas iam nominabamus eius sint species, ad hæc Gratiarum actrices, quibus Petitoriæ plærunq; materiã præbẽt, & Officiosæ. In primo autem genere poterunt reponi Domesticæ, quibus scilicet res domesticæ nuntiantur, deinde illæ, quæ de alijs rebus non perinde necessarijs scribuntur, vtramq; speciem nuntiatorias vocemus.

Ad secundam.

Ad primam.

Vide etiam Brandolin. cap. 1. libr. 2.

PARS ALTERA.

De salutatione in capite epistolarum adhibenda. Cap. XIIII.

VEteres illi cũ cõgrederentur, aut alioqui alter in alterũ fortuito, vt fit, seu alij in alios inciderent, ex primis verbis quę proferrent, futuri sermonis omẽ quoddã capiebant. Quo igitur congreſsio illa confabulatioq́ꝫ siue colloquium faustum boniq́ꝫ foret ominis, viciſsim inter se salutem precabantur. Hinc apud poëtas, cum aliquid magni incipiendum aut gerendũ est, iubemur dicere bona verba, fauere linguis, & apud Græcos εὐφημεῖν: malum quippe sermonem rei infelicitatem portendere credebant. Hanc consuetudinem ad epistolam, quæ, vt sæpe dixi, collocutio est absentium, gręci latiniq́ꝫ homines transtulerunt, & eam à salute inchoarunt. Qua ratione statim beneuolam & amicam erga illos, quibus scriberent, voluntatem suam de-

Origo salutationis.

clara

clarare, illorumque gratiam inire voluerunt. Ad quod sane multum valere existimabant, si mutuo precarentur salutem, qua nihil est melius: verissime namque dictum à quodam accepimus.

Οὐκ ἔστ' ὑγιείας κρεῖττον οὐδὲν ἐν βίῳ

Nil vita melius sanitate possidet.

Ex monostichis variorum poëtarum.

Salutabant autē in tertia persona, M. Tull. Appio Pulchro S. D. vel quod illa enallage personæ quādam videretur habere festiuitatem, vel quod antiquitus salutatio epistolæ ipsi nō adderetur, verum in tergo eius pro titulo, tanquam à tabellario recitanda scriberetur, seu, vt is moneretur, cui epistolam deberet reddere. Sed fuisse eiusmodi titulos partem epistolæ, & in exordio scriptos, multis & euidentibus argumentis potest planum fieri, inquit Ludouicus Viues. Primum, quoties Cicero, Salustius, Cæsar, Demosthenes, & alij epistolam alicuius referunt, vel suam vel alienam, sic exordiuntur: Antonius Hirtio & Cæsari: Lentulus Catilinæ salutem: L. Catilina Catulo S.

Vtrum salutatio seu titulus, fuerit pars epistolæ.

Cn. Pompeius L. Domitio S. Βασιλεὺς μακεδόνων φίλιππος ἀθηναίων τῇ βουλῇ καὶ τῷ δήμῳ χαίρειν. Rex Macedonum Philippus S.P.Q. Atheniensium S. D. Ouidianæ epistolæ idem habent initium, etsi more poëtico variatũ. Quid attinebat si illa tabellario scribebãtur, in historia referre? quum satis fuisset dicere, epistolam esse illius ad illum: sed nimirum epistolam integram volebant subijcere ab initio ad calcem. Cicero de lege Agraria: Is videlicet, antequam veniat in Pontum, literas ad Cn. Pompeium mittet; quarum ego iam exemplum ab istis compositum esse arbitror. P. Seruilius Rullus, Tribunus plebis, decemuir, S.D. Pompeio, Cn. F. Non credo adscripturum esse, Magno: non enim videtur id, quod imminuere lege conatur, cõcessurus verbo. Sed apertissime primo libro Epist. Cic. Valerio Iuris consulto S.D. [a] Cur enim hoc tibi nõ gratificer? quum nihil ad huc de iuris prudentia dixisset. Plutar. in Demosthene scribit, inuentum

Orat. 2.

Epist. vltima.

tum in libello Demosthenis initium epistolę eius ad Antipatrum regem Macedoniæ, Demosthenes Antipatro: nec aliud quicquam. Liu. lib. 34. de epist. Syracusanorum ad Marcellum: Prætores Syracusani Marcello suo S. tum secundum salutem, vt solet, recte eum atq; ordine fecisse, &c. & in iure ciuili de negotijs gestis, Hensenius Apollinaris Iulio Paulo S. Et in summo adscribi solitum hunc titulum, declarat Lucianus in parasitico: Quin & illud, inquit, mihi perridiculum videtur, si in epistolis in summo, quemadmodum solemus, scripserimus, Simonidi parasito. Deniq; nulla est veterum epistola, quæ non titulum illum habeat, siue ab auctore suo posita, siue ab alio citata. Si is titulus tabellario erat adscriptus quũ mitteretur, certe nihil fuit necesse addi, cũ ab alio referretur, aut ederetur ab auctore. sed hac de re argumentorum satis; quæ eo adduxi, quod non quilibet de plebe, sed docti nonnulli homines sunt in contraria sententia,

& ita contendunt fuiſſe, quemadmodum ipſi opinantur, ſolum ob tertiam illam perſonam, Dicit: nec conſiderant, non ſolitos priſcos illos homines nomini ſuo primam addere perſonam, etiam de ſe loquentes, ſed tertiam: vt in rationibus & contractibus. P. Scipio fatetur ſe debere, vel accepiſſe, vel recipit daturum ſe, aut quid ſimile: potius quam, Ego P. Scipio fateor. Inſecutis deinde ſeculis receptum eſt, in prima perſona dici: porro epiſtolę antiquiſsimam cõſuetudinem retinuerunt. Reſtat nunc vt videamus, quæ in ſalutando, ſeu latine ſeu gręce exarare lubebit epiſtolam, obſeruemus: qua in parte præcepta noſtra atq; ſcripta ad veterũ ſcriptorum normam & exemplar dirigemus, recẽtiorum quorundam nouas, & plęraſq; omnes ineptas ſalutandi formas plane omittemus.

SCHOLIA.

Inter alia præcepta, quæ in ſua elegantiſsima parænesi Demonico ſapiens & facundus magiſter Iſocrates

crates reliquit, illud non postremum est. τῷ μὲν τρόπῳ γίνου φιλοπροσήγορος, τῷ δὲ λόγῳ εὐπροσήγορος. ἔστι δὲ φιλοπροσηγορίας μὲν τὸ προσφωνεῖν τοὺς ἀπαντῶντας. Moribus esto affabilis, sermone comis. Est autem affabilitatis obuios salutare. Itaq; neminem salutantes, inhumani censentur. Iam vero, si salutare indicium est & argumentum humanitatis, & epistola mores ingeniumq; nostrum debet omnino exprimere, & plena esse humanitatis, vt vult Demetrius, satis claret, quam recte mos & consuetudo salutandi ex communi sermone huc translata fuerit.

Phædra Hyppolyto.

Qua, nisi tu dederis, caritura est ipsa salutem
Mittit Amazonio Cressa puella viro.

Lib. 1. de Pont. eleg. 9.

A tibi dilecto missam Nasone salutem
Accipe, pars animæ magna Seuere meæ.

Eodem lib. eleg. 11.

Naso suo profugus mittit tibi Flacce salutem,
Mittere rem si quis qua caret ipse, potest

Lib. 2. eleg. 7.

Esse salutatum te vult mea littera primum
A male pacatis Attice missa Getis.

[a] Manutius, quamuis contradicente Victorio, sensum horum verborum ex titulo pendere contendit, aliud porro huic simile exemplum ex epistolis ad Atticum scriptis affert, quod sententiam Viuis confir-

firmat. Ita igitur est libr. 3. M. Cicero S. D. Q. Cæcilio Q. F. Pomponiano Attico. Quod quidem ita esse, & auunculum tuum functum esse officio, vehementissime probo. Vide illius castigat. & huius scholia in epistolas.

De latina & græca salutandi ratione. Cap. XV.

PRincipio, eius qui scribit nomẽ, (qua voce prænomen, cognomẽ & agnomẽ etiam cõplector) ponendũ est casu recto: deinde litteræ S. P. D. quę significant, salutem plurimã dicit: siue S. D. tantum. Tum eius nomina, ad quem scribitur eodem modo, sed dandi casu. M. Tullius Cicero S. D. C. Asinio Pollioni. Vel sic, M. Tullius Cic. C. Asinio Pollioni S. P. D. vel, S. D. Quando ad eundem sæpius, aut ad perfamiliarem scribimus, satis erit vnum vtrobiq; nomen ponere, cum litera S. Cicero Attico S. Marcus Q. F. S.

Quod si nos aliquem magistratum gerimus, aut si fuerit aliqua dignitas nostra

noſtra illiuſue, ad quem eſt epiſtola, adiungemus eam hoc modo. M. Tull. Cicer. Imp. P. Lentulo procos. S. D. Hinc Philippica 13. reprehenditur à Cicerone M. Antonius, quod cum ad A. Hirtium Cos. & Cæſarem Octauium Proprӕt. ſcripſiſſet, eos honorũ ſuorum nominibus non appellauerit, vt diceret: M. Antonius A. Hirtio Cos. & C. Cæſari Proprӕt. S. Cæterũ huius rei cauſſam fuiſſe hanc ibidem teſtatur orator, quod Antonius, cum ſe Cos. aut Imperat. nominare nõ poſſet, deponere alienum nomen ipſe maluerit, quam illis ſuum reddere.

Ad vxorem, liberos, propinquos, aut alioqui vehementer dilectos cũ ſcribimus, adijcere ſolemus ꝓnomen, ſuus. M. Tullius in titulo epiſto. ſcripſerat: Tullius Tullio Tironi S. D. Tiro, illud Tullio, ad inuidiam vitandam omittendum reſcripſit. Tum Cicero ep. 18. ad eundem: Quid igitur? non ſic oportet? equidem cenſeo ſic, addendum etiam, ſuo. Huic pronomini plærumq;

etiam

etiam adiectiuum vnum atque alterum adiungimus, quod nostrum in eos amorem declaret. M. Tull. Cic. Terentiæ & Tulliolæ & Cic. suis S.P.D. Cic. S. D. Terentiæ suæ. Tull. Tironi suo S.D. Tullius Terentiæ suæ, pater Tulliolæ duabus animis suis: & Cic. matri optimæ & suauissimæ sorori S. P. D. Cic. Terentiæ suæ, & pater suauissimæ filiæ Tulliolæ S. D. Tullius, & Cic. & Q. Q. Tironi humanissimo & optimo S. D. Cic. Fil. Tironi suo dul-
Viues. cissimo S. P. D. Quintiliani & Plinij temporibus cœpit recipi mos, vt omnibus fere, nisi aperte essent inimici, adderetur, suo. Martialis de charta epistolari:

Seu leuiter noto seu charo missa sodali,
Omnes ista suos charta vocare solet.

Irridetur ab eruditis quorundã mos superstitiosus, qui nomen suum posteriore loco solent collocare, cum ad magnos & illustres viros scribunt: videlicet, vt honorem illis habeant, putãt enim nescio quam dignitatem in præpositio-

poſitione nominis ineſſe. Verum, cum iſta ratio à religioſis & ſanctis hominibus, ad Pontifices aut Epiſcopos ſcribentibus originem ſumpſerit, nos eoſdem vita & moribus imitari, in ſcribendo & loquendo duces ſequi non debemus. Si quis nihilominns hanc conſuetudinem retinere velit, ne ſuperb⁹ aut impudẽs videatur, retineat: facinus enim hoc, non eſt capitale.

Brandol. li. 1. cap. 9.

Apud græcos triplex erat vſitata ſalutatio in epiſtolis χαίρειν, εὖ πράττειν & ὑγιαίνειν. Per primam optabant ſibi, vt cum omnia ex animi ſententia ceſsiſſent, animus lætitia frueretur. Per ſecundam, vt actiones feliciter cederent, & prono curſu. Per tertiam bene optabant corpori, quod eſt primum inter res humanas, eſt tamen ambiguum, & ad ſanitatem mentis etiam pertinet. Primi generis exempla, Βασιλεὺς Βασιλέων μέγας Ἀρταξέρξης Γαίτῳ χαίρειν, & Xenoph. pædiæ 4. Κῦρος Κυαξάρῃ χαίρειν. Et Demoſthenes aliquoties in ſuis epiſtolis. Porro quamuis εὖ πράττειν

Budæus Comment. linguæ græcæ.

idem ſit, quod καλῶς πράττειν, tamen illud, non hoc ſalutationi epiſtolarum adhibetur: exiſtimatq́ue Plato longe aptiorem hanc ſalutationem eſſe, quam quæ fit verbo χαίρειν. Vide principium illius epiſtolæ ad Dionyſium, quæ eſt ordine tertia. Sic igitur ſalutat. Πλάτων Διονυσίῳ εὖ πράττειν. Horatius vtrumq́ue expreſsit eodem verſu.

Ep. 8. lib. 1. *Celſo gaudere & bene rem gerere Albinouano.*

Epicurus aliam quandam ſalutationem vſurpauit, εὖ διάγειν. Precabatur id, in quo felicitatem ſummam eſſe ſtatuebat, vitam nempe ſuauem & iucundam, moleſtiarumq́ue prorſus expertem. Intelligendum eſt autem cum huiuſmodi verbis infinitis, vocabulum εὔχεται precatur, optat. & cæt.

SCHOLIA.

Quia in ſalutatione, & inſcriptione literarum, magiſtratuum, dignitatum, honorum cum noſtrorum tum illorum ad quos ſcribimus facienda eſt mentio, vtemur vocibus Chriſtianis, quæ ſunt, Cardinalis, Pontifex ſeu Epiſcopus, Abbas (pro quo vſur-

vsurpant quidam non male Cœnobiarcha, Archimandrita) Prælatus, Decanus, Canonicorum collegium, Sacellanus siue à sacris, Presbyter, Confessarius siue à confeßionibus, Concionator siue â sacris concionibus, Cancellarius, Mareschallus, Cubicularius à cubiculis, Secretarius, à secretis, siue ab ep. etc. His igitur vtamur, quandoquidem latiniora non habemus. Quod si etiam nonnulla Ciceronis modo aliorumuè latinißimorum scriptorum efferre poßimus, tamen ne sermonem demus barbaris, qui, quod non legerunt,| quid autem est quod ipse legerint ? id solent irridere, & affectatum dicere, consulto ijs abstinebimus, & vt prouerbio monemur, cum Care Carizabimus. Etsi vero recentiores quidam in salutationibus has ineptias commendant, & literarum studiosis plena manu earundem facultatē atq; vsum largiuntur, videlicet, Ioannes Sabinus Paulo Capitoni dimidio animæ suæ; quod de amico Aristoteles dixit, alteri ipsi, Achati, Theseo, Pyladi suo; alteri ferme Aristoteli; Varroni huius ætatis; non multum M. Tullio facundia minori; nihilominus (dicendum est enim) ea parum virilia sunt, & assentationem olent. M. Cicero ad Terentiam & Tulliolam scribens, dixit, duabus animis suis. mirum vero. quid quæso aliud dicat pater charißimæ filiæ, quam & delicias & deliciolas suas alibi nominat, & maritus fidelißimæ vxori ? appellare potuisset etiam ocellos suos & lucem, desiderium, vitam vt

Apellationes magistratuum & honorum apud nos.

fecit, amatorie quidem, ſed non turpiter; ad alios ſcribens licet amiciſsimos & doctiſsimos, ſatis habet nomen ipſorum ponere, eaq́; ſeruare de quibus in capite explicatum eſt. Nos ergo quam fieri poterit ſuauiſsime & amantiſsime ſcribamus ipſam epiſtolam, & ſi omnino inepti eſſe volumus, ſaltem initio ne ſimus.

Ex apophtheg.

Menecrates quidam medicus, quum deſperatæ quædam curationes ipſi feliciter ceßiſſent, populari adulatione dictus eſt Iupiter. Hoc cognomento vir arrogantis ingenij delectatus inſolentius, vſus eſt eo titulo. Tandem quum & Ageſilao ſcriberet, nec veritus eſſet hac vti ſalutatione: Menecrates Iupiter Ageſilao regi ſalutem: Rex hoc offenſus proœmio, præterea nihil dignatus eſt legere, ſed reſcripſit in hunc modũ: Rex Ageſilaus Menecrati ὑγιαίνειν.

De exordio epiſtolæ. Cap. XVI.

Ludo. Viues. Mos vetus exordiendi epiſtolã. Ep. 11. lib. 1.

FVit olim mos vetus, quem Seneca vſq; ad ſuam ętatem ſeruatum ſcribit, epiſtolas ſic exordiri: Si vales bene eſt, ego quoq; valeo. Plin. Cæcili⁹ Fabio Iuſto S. olim nullas mihi epiſt. mittis: nihil eſt, inquis, quod ſcribã: at hoc ipſum ſcribe, nihil eſſe quod ſcribas:

baſ:vel ſolum illud, vnde incipere prio res ſolebant, ſi vales bene eſt, ego valeo. Id varijs modis enunciabatur: ſi vales, valeo: ſi vales bene eſt, ego valeo. Dolabella Ciceroni: ſi vales gaudeo, equidem valeo, & Tullia noſtra recte valet, & Cicer. Terentia minus belle habuit, ſed certo ſcio iam cõualuiſſe eam. L. Lucceius Ciceroni: ſi vales bene eſt, ego valeo ſicut ſoleo, paulo etiam deterius quã ſoleo. Lepidus Sen. & pop. Romano: ſi vos liberiq; veſtri valetis, bene eſt, ego quoq; valeo. Interim nõ adijciebant quicquam de ſe, quum nõ recte valere volebant ſignificare, animo præſertim: aut ſibi eſſe curæ illorum ſalutem, ſuam nõitem illis: vt Metellus Ciceroni: ſi uales bene eſt. Cicero Metello: ſi tu exercitusq; tuus valetis, bene eſt. Quæ particula deſijt eſſe in vſu, ſicut illa in orationibus, Iouem ego Optimum Maximum: ſed nõ ita, quin addi poſsit, & aliquando debeat, ornetq; epiſtolam. *Cicero Diuinat. in C. Verrem.*

Principium epiſtolæ nomen eius ad quem *Lipp. Brandol. Initium epiſtolæ, aliquan-*

do nomen habet.

quem scribimus, nisi certis de caussis, habere non debet. Caussæ autem sunt, vt vel aliquem affectum animi exprimamus: vt, Ego, vero Serui vellem, vt scribis, in meo grauissimo casu affuisses. Vel, vt in re admodum graui attentiorem habeamus auditorem: vt, ego, Lentule, initio rerum atq; actionum mearum. Vel, cum aliquid vehementius exprimere volumus, quod non in principio modo, sed in tota quoq; epistola fit: vt, Vrbem mi Rufe cole, & in ista luce uiue. Seneca fere semper nomen eius ad quem scribit, apponit: Plinius, quod ego meminerim, nunquam: Cicero his fere quas exposui de caussis.

Abruptum initium.

Sunt etiam multæ Ciceronis epistolæ, quarum initium abruptum est & patheticum. Vt 8. 11. lib. 2. & 13. lib. 7. & 6. 15. 17. lib. 8. & 17. 19. & 21. lib. 9. & 40. lib. 10. & 30. lib. 12. Ad Att. 5. lib. 4. Et 3. lib. 1. ad Q. F. hoc habet principium: Mi frater, mi frater, mi frater, tu ne id veritus es &c. Hæc abru-

abrupta initia potissimum in iocosis & familiaribus decent, quibus id assequimur, vt non mutam epistolam epistolæ, sed viuo sermoni viuum item sermonem referre videamur. Et quoniam vtrinque missæ acceptæque literæ mutuũ alloquium imitantur, pulcherrimum fuerit, illas quam rem repræsentant, eandem quã appositissime adumbrare.

SCHOLIA.

Imperatores qui præerant exercitui in prouincijs, resque gerebant, quum ad Senatum scribebant, aut magistratus, præscribere literis solebant, si vos liberique vestri valetis, bene est: ego exercitusque valemus. Quod in epistolis Ciceronis sæpe legimus. Hanc consuetudinẽ sic annotat & obseruat in historia Dio. διὸ καὶ ὁ Ἀδριανὸς γράφων πρὸς τὴν βουλὴν οὐκ ἐχρήσατο τῷ προοιμίῳ τῷ συνήθει τοῖς αὐτοκράτορσιν, ὅτι, εἰ αὐτοί γε καὶ οἱ παῖδες ὑμῶν ὑγιαίνετε, εὖ ἂν ἔχοι· ἐγὼ καὶ τὰ στρατεύματα ὑγιαίνομεν. *Idcirco & Adrianus ad senatum literas mittens, vsitato Imperatoribus proœmio non est vsus &c. Vicissim autem ad ipsos cum scribebatur, hoc, id est simile erat epistolæ principium. Si tu exercitusque valetis, bene est &c.*

Epist. 35. lib. 10. ep. 15. lib. 12. ep. 12. li. 15. Turneb. aduers. 2. cap. 15.

Epist. 2. & 7. lib. 5.

Dignum est obseruatione, epistolas quæ principium capiunt ab his duabus vocibus. Ego vero, seu, Mihi vero, Tu vero, ex illis esse, quibus alicui respondetur ad id, de quo ille scripserit, vel de quo per quempiam à se missum interrogarit. Hoc quidam imprudenter & inepte Ciceroniani non videntes, idem plerisq́ suarum epistolarum dant initium: perinde ac si ornatus tantum gratia Cicero illa vocabula principijs adhiberet. Vide lib. 4. 6. lib. 7. 30. lib. 9. 5. libr. 16. 12. & 23. Quemadmodum autē illæ epistolæ, quæ in primo limine habent particulam, vero, præcedente pronomine, respondentis sunt, ita etiam quæ habent, Ain' tu? vel, Ain' tandem? vt 21. lib. 9. ad famil. & 5. lib. 4. ad Att.

De epistola[a] Narratoria. Cap. XVII.

Διηγηματική. Cic. ep. 1. 5. 7. & 9 lib. 1. 11. 20 lib. 11. Ad Q. Fr. ep. 1. Plin. ep. 6. lib. 1. 1. 7. lib. 2. 9. lib. 3. 12. lib. 4.

PRimum epistolarum genus illud vnum affirmare ausim (ne à M. Tullio, Romanæ eloquentiæ parente discedam) cuius caussa epistola ipsa inuenta est, vt absentes de rebus doceremus, si quæ essent, quas eos scire, aut nostra, aut ipsorū referret: quod Expositorium, seu Narratorium (multa enim vocabula declarādi gratia fingant

gant ſibi Grãmatici neceſſe eſt) appel lare libet. Illud in primis in hoc genere obſeruandum eſſe animaduertimus, vt antequam ad narrationem ipſam, quę breuis, ſimplex, dilucida, pura, elegans, propria eſſe debet deſcendamus, [b] beneuolẽtiam ab eo cui ſcrbimus aliquo modo captemus: quanquam cum epiſtola expreſsio quædam amoris debeat eſſe, & pulchritudo eius (vt ſentit Demetrius) ſint aptæ blanditiæ, in ſingulis etiam epiſtolis, conciliãda pro rei occaſione beneuolentia erit. *Politia. 8. lib. 11. 14 li. 12. P. Manut. 21. lib. 2. 18. lib. 3.*

Deinde rerum ac temporum ordinem conſeruantes, vt res geſtæ ſunt, exponamus. Et vt exordiri ſolent à rebus lætis, ita primum de amici rebus (vt videantur ſibi curæ eſſe) dicere moris eſt, (vbi de ſuis etiam aliquid ſit ſcribendum) deinde ad ſua deſcẽdunt.

Sæpe tamen à narratione ipſa incipere poteris, vbi vel antea ſcripſeris de eadem ipſa re, vel breuitas temporis nõ niſi rei expoſitionem deſiderat, vel amicitia ipſa nullũ admittit exordium.

Et in principio quandoq; vt in fine, nostrā solemus amico operam pollice ri, vt patet in epistolis ad Lentulum. De cætero, nullo ad eam rem, quam scribimus apparatu, vel arte opus est, sed simpliciter, & simplicibus nominibus expedienda, nisi quid de ipsa Repub. de Deo, & similibus rebus, quæ grauitatem quandam præ se ferunt, erit dicendum.

SCHOLIA.

a Si ad amußim Ciceronis omnia dirigenda putaremus, ac pro his vocibus, narratoria, petitoria, accusatoria cæterisq; similibus ita loqui mallemus, de epistola qua narramus, seu nuntiamus, de ea qua accusamus &c. esset id quidem latine loqui, sed haberet tamen non parum molestiæ in docendo, vt prudentiores facile intelligent. quia igitur commoditatem in docendo spectare & sequi debemus, humanißima Ciceronianorum natio libenter, credo, aliquot vocum minus probatarum gratiam nobis faciet. Cum autem huiusmodi appellationes epistolarum dupliciter exire poßint, verbi causa, narratoria narratiua, & sic in reliquis, nos priorem speciem quam posteriorem magis probamus, vt non æque duram, & in quibusdam, vt docebimus in progressu,

Commoditas in docendo.

ſatis vſitatam. Sunt autem duriſsima quæ cum adiectione ponuntur vt, epiſtola Significatoria, Declaratoria, Teſtificatoria amicitiæ, beneuolentiæ; epipiſtola Petitoria, vt ei ſuccedatur. nihilominus poterunt per participia commode nominari ſic, de epiſtola narrante, gratulante, exprobrante &c.

Quum nuntiandum ſeu narrandum erit aliquid, conſiderare oportebit, qua de cauſſa id narretur, perſpecto enim fine, omnis narratio, atq; adeo tota epiſtola multo rectius inſtituetur. Si igitur ex ea ſolum cognitio rei & notitia quæritur, res primum ita proponetur lectoriſq; animus ita in expectationem adducetur, vt ſi id petierit ad ſe perſcribi, ſciat nos ipſi diligenter & accurate ſatisfacturos: ſi non petierit, nos eum rei cognoſcendæ cupidum reddemus, vt intelligat, nos etiam abſentes ea quæ ſcire is velle debeat, vltro cogitare atq; afferre. Poſtea rem ſic narrabimus, vt quæ cognitione digna ſunt, eorum nihil prætermittamus. Si delectationis cauſſa ſuſcepta fuerit narratio, adhibenda erit ſententiarũ verborumq; maior quædam vrbanitas, maiorq; varietas, & omnia deniq; ad iucunditatem ab initio conferenda. Vide Brandol lib. 2. cap. 15. [b] Quomodo etiam in oratione non ſolum in exordio, verum in reliquo item curſu, quoties locus poſtulabit, auditorum captanda eſt beneuolentia. quod in 2. de Orat. M. Anton. contra græcos diſputans, præclare docuit.

Si

Si partim gesta, partim gerenda exponemus (est enim quando id fiat) ita narrabimus quæ gesta erũt vt ex ijs facile quæ gerenda erunt, intelligantur, ita vt non solum præterita & præsentia exponamus, sed futura etiam coniecturis quodammodo significemus. Tum quid vel ipsi ab amico petamus, vel illi faciendum arbitremur, paucis aperiemus. Item quid in quaq; re boni aut mali sit breuißime declarabimus, si volemus. Ad extremum similia pollicebimur nos esse scripturos, & ab amico vt ipse quoq; si quid noui acciderit ad nos perscribat, petemus. Vide Brandol.

De exemplis secundum præcepta epistolica.

Iam vero nonnulli, qui de epistolis præcepta tradiderunt, ea ipsa exemplis & paradigmatis suis confirmarunt, vel potius eorum vsum ostenderunt. Consilium laudo, factum non laudo. Cum enim præceptiones hæ ex epistolis Ciceronis præcipue colligantur, certe ex eodem etiam præceptorum atq; artis exempla colligi debuerunt. Sed fortasse id fieri vbiq; nõ potuit: Epistolæ enim Ciceronis eædem interdum duorum, interdum plurium generum sunt, & quæ vnius tantum sunt, omnia præcepta quæ hic de vno genere traduntur aut non habent, aut ita habent, vt vix satis cognoscantur nisi ab exercitatis. Interim iuuabit plures eiusdem generis conferre, & quod vni deest, in altera quærere, quam ad rem proderunt numeri, quos in marginibus cernis. Tamen, propria exempla omnino fingi non poterunt? mihi ita videtur, si

modo

modo qui fingit, est Erasmus aliquis, aut Macropedius: quorum ille (parcite Erasmiani) aridus & exanguis, nihil politũ, nihil elaboratũ dicit: hunc Catullus vnũ fossorem aut caprimulgum appellaret, toto libro Ciceronẽ nec semel nominat. sin autem est Manutius aliquis, aut Victorius, aut Muretus, qui epistolas scribere didicerit, qui Ciceronem iam pridem comederit, tum poterunt fingi propria.

Quot in respondendo spectanda, & de responsione ad Narratoriam. Cap. XIIX.

DVo sunt, si Viuem audimus, in respondendo potissimum spectanda: hoc est, quæ scripta sunt ab eo, cui respondemus, & quo animo. Possunt enim res aut malæ esse, aut parum rectæ in animo bono: aut bonæ in dissimili. Si malę, laudabitur,[a] animus, & mens ipsa, à qua dimanant: res vero ipsas, quia laudare minus possumus, excusabimus, vel leuiter & amice amicum, prouit res exposcere videbitur, [b] admonebimus. Sin bonæ erunt res, nec cum malo animo consentire videbuntur

buntur, nihil oberit dissimulare, & animum ex rebus ipsis censere. Itaque dicemus non dubitare nos de animo, quandoquidē indicia eius, nempe res ipsas, talia intuemur: hîc res commēdabuntur. Verum hæc & alia melius cognosci poterunt, si, quomodo ad singula epistolarum genera respondendum sit, statim viderimus.

Cic. 21. lib. 5. 32. lib. 7. 18. lib. 12. Ad Att. lib. 8. ad Pompeium scripta. Plin. lib. 5. 7. lib. 9.

Ad expositionem igitur, vt â primo exordiamur genere, iucundas nobis fuisse literas rescribemus: ex quibus omnia quę scire desiderabamus cognouerimus: gratū fuisse amorem, quo nos prosequitur, cæterasque huiuscemodi res non insuaues.

Rogabimus vt ita facere pergat, vti cœpit, & quam sæpissime.

Cic. 8 lib. 2. 15. lib. 4.

Pręterea gratias etiam agere poterimus, vicissim & nos scribentes ea, quorum ipsum cognoscendorum esse auidum putamus.

Si quid autem ab amico desideramus, quod prętermissum esse videatur, modeste illis de rebus ipsum admonebimus, ita, vt ad laudem potius nostra verba spectent.

SCHOLIA.

Bene ac prudenter fecit Rochus, qui viam demonstrauit, quam teneremus si respondendum nobis esset, vt sæpe est, ad epistolam. Cuius generis epistolæ à prioribus diuersæ cum sint, illis misceri non debuerunt. Verũ de responsionibus, excepto vno & altero, qui tamen ita distinctę nõ præcipiunt, mirum apud alios silentium. Pro responsorijs autem, maluimus illas responsiones vocare. [a] *Dicemus, res quales quales sint molestas nobis esse non posse, quæ ex tali fonte profluant, ex animo candido, sincero &c. Sic fecit M. Tullius in epistola quadam ad M. Antoniũ de restitutione Sex. Clodij, & de literis P. Clodij.* [b] *Vt nimirum verbis talibus aliquanto cautius in posterum vtatur, vt videat quid loquatur, paucos fore, qui animum excusent, cum indicem mentis orationem eiusmodi videant.*

De [a] Commendatitia. Cap. XIX.

ALterum epistolarum genus, quo aliquem alicui commendamus, cõmendatitiũ appellatur: quod cũ officiosum esse oporteat, hæc fere in eo obseruari solẽt, [b] vt primum religiose, & sine ambitione cõmendando, narres caussas tuæ amicitiæ cum eo ipso, quem cõmendas, eiusq; dicas [c] laudes: deinde ad petitionem descendas, quæ

Συστατικὴ παραθετική.

Cic. ep. 17. & 31. li. 13. 13. lib. 9. & omnes. lib. 13. Plin. 24. 1. 14 15. lib. 4 6. 8. lib. 6. Cic. ep. 59. 6c.

Ad Att. li. 16. in ep. ad Plancum. Plin. 29. lib. 9. Cice. 5. 7. lib. 2. & 5. lib. 5.

æqua ſit, honeſta, neceſſaria, & facilis factu: poſtremo fiat remunerationis mentio, & ex parte tua, et ex parte commendati: licet non ſemper à Cicerone id fieri legamus.

Cic. ep. 1. 47. lib. 13. Ad Att. li. 16. in ep. ad Capit. Plin. 9. 13. li. 2. 2. lib. 3. 31. lib. 7.

Si commendatio erit vulgaris, vel parum honeſta videatur eſſe (cogimur enim quandoq; nonnullos, in rebus nō admodum etiam honeſtis commendare, aut noſtra ſponte, aut aliorum rogatu) vel animus illius cui ſcribimus, erit aut à nobis alienatus, aut ab illo, quem commendamus: tunc captabimus beneuolentiam, vel vtemur inſinuatione, aliquoue artificio: prout res poſcere videbitur.

Pudentis hominis eſt, cum alium cō̃mendat, illis præſertim, qui cum aliqua ſunt poteſtate, exprimere, ea tantum ſe petere, quæ & ſuus pudor poſtulat, & fides ac dignitas illius, cui commendatur, patitur: vt quæ amicus æqua poſtulabit, lubente ipſo, impetret.

Cice. 24. 44. lib. 13. ul. &

Cum iterum & ſæpe aliquem commendas

mendas de eadem ipſa re, ne nimis im- *penult li. 16.*
portunus videaris, vt tibi ignoſcat, di- *ad Att.*
ces. Nam id te non facere ſignificabis, quod parum confidas vel illius liberalitati, vel amicitiæ: ſed id omne conferes, vel in deſiderium, quo maximo teneris, rem gratam ac vtilem amico faciendi, vel in rem ipſam: cum tanta res, ac etiam exiſtimatio agatur.

Si vero quicquam is, cui commen- *Cic. 28. 61.*
datur pro amico fecerit, gratias ages, *42. 55. li. 13.*
& quã gratiſsimo viro beneficium cõ- *Plin ep. 8.*
modaſſe ipſum declarabis, quamq́; tibi *lib. 9.*
gratum fuerit oſtendes. Non dubium tibi eſſe, quin & tua cauſſa, & ſuę etiam conſtantiæ gratia, in eadem ſit manſurus liberalitate. Et ideo rogabis, vt quę initio oſtendit, deinde quæ fecit, ad exitum augeat, & cumulet.

SCHOLIA.

[a] Commendare græcis eſt συνιστάναι, pro quo laudare dixit Horatius, hoc verſu,

Scilicet vt tibi ſe laudare & tradere coner. *Ep. 9. lib. 1.*

reſpiciens ad id, vnde orta eſt ſignificatio illa verbi,

bi, cõmendare, Neq́ enim dubito, quin ex eo ſit, quod eum quẽ alicui commendamus, tradimus, & velut fidei alicuius cõmittimus, laudare ſoleamus. Valde autem miror eos, qui annotatiunculas in epiſt. M. Tullij ediderunt, barbaro quam latino vocabulo vti maluiſſe, commendatoriam enim appellarunt, quam ille commendatitiam vocauit, (cum namq́ commendatitias litteras dicit, non minus certe commendatitiam epiſt. dicere exiſtimari poteſt). Verum vbi litteras commendatitias appellat? ep. 5. lib. 5. & 26. li. 13. Ergo Ciceroniana voce vtendum eſt omnino, quando id fieri poteſt commode.

[b] Quæ de commendatione Rochus initio tradit, à Paulo Man. ſumpſit, qui hæc omnia 4. in argumẽto ep. 3. lib. 1. ad famil. perſpicue breuiterq́ complexus eſt [c] Tenendum eſt vero præceptum Theognidis.

μήποτ' ἐπαινήσῃς πρὶν ἂν εἰδῇς ἄνδρα σα-
ὀργὴν καὶ θυμὸν καὶ τρόπον ὅσις ἂν ᾖ (φηνῶς

Ne quemquam lauda, niſi noueris ante quibus ſit
Moribus, atq́ animo qualis, & ingenio.

Sic Xenocrates à Polyſperchonte, ſiue Polyperchonte tyranno de quadam commendatione reprehendebatur, iubebaturq́ in poſterũ diligenter ſecum conſiderare, quẽ cõmendaret. Pulchre etiã Horatius.

Ep. 18. lib. 1.

Qualem cõmendes etiam atq́ etiã aſpice, ne mox
Incutiant aliena tibi peccata pudorem.

Commendatio epiſtolarum propria.

Eſt porro commendatio epiſtolarum pæne propria, in alijs enim ſcribendi generibus ea vix vtimur, & ab omnibus qui ſcribunt, frequentiſsime vſurpatur

patur

patur. Nemo enim fere est, qui vel se, vel alium aliquando non commendet. Itaq; tam varia, quam frequens est. Pro personarum enim & rerum qualitate aliter atq; aliter tractatur. Personæ in hoc genere duæ potißimū cōsiderantur: eius qui cōmendatur, & eius cui cōmendatur. Aliter enim nos ipsos aut liberos nostros, aliter familiares atq; amicos, aliter hospites atq; incognitos cōmendamus. Magna præterea doctrinæ, virtutis, dignitatis, profeßionis, nobilitatis, fortunæ &c. in commendatione ratio habenda est: vt non eodem modo doctū & indoctum, sacrū & profanum, magistratū aut dignitatem aliquam gerentē, ac priuatum: item diuitem atq; inopem, liberū ac seruum, nobilem atq; ignobilem commendemus. Danda enim opera est, vt de vnoquoq; conuenienter accomodateq; loquamur. Eorum quoq; quibus commendamus, delectus habendus est, vt non eodem modo principi atq; amico, item magistratui ac priuato rem quampiam aut hominem commendemus Cum amicis agere sine magna caussa, & liberius licet. Principibus neq; omnes, neq; omnia nec sine magna neceßitate commēdare fas est: omnia apud illos grauiter & seuere dicenda. Rerum quoq; non mediocrem ducere rationem oportet. Et primum quidem non nisi iusta aut honesta, aut necessaria commendatio suscipienda est Deinde videndum est, vt res sit eius, cui commendatur dignitati, facultati, naturæq; accomodata. Hæc & alia multa Brandolin lib. 2. cap 25.

Persona eius qui commendatur.

Personæ eorū, quibus commēdatur aliquis.

Res ipsa.

Discant postremo illud adolescentes, Ciceronem in hoc genere litterarum libenter & crebro vti solere verbo, tradere. Sic enim est, ep. 17. li. 7. sic ei te commendaui & tradidi, vt grauissime diligentissimeq; potui. & ep. 1. libr. 13. traditus mihi commendatusq; est. reliquos locos vt longior ne sim, prudens omitto.

Petitio cum conditione. *Præterea in commendaitijs M. Tullij hoc frequentissimum videbis, vt cum conditione siue exceptione petat, vt illis quos commendat præstetur id officium quod requirunt. epist. 2. 56. 70. lib. 13.*

De responsione ad Commendatitiam. Cap. XX.

CVm ad epistolam rescribimus commendatitiam, nostrum esse videtur considerare, amicus ne sit noster, qui commendatur, an nulla nobis familiaritate coniunctus, an aliquo modo à nobis alienus: iusta ne sit commendatio, an iniqua.

Cic. 11. lib. 5. Ad Att. 20. lib. 2. 15. li. 4. 14. lib. 14. ad Antonium. Si amicus erit, & digne, atq; vt meretur, cõmendatus, gratam nobis fuisse commendationẽ dicemus, in qua præsertim de homine agatur, qui multos iam annos cum suis, vel ab ineunte ætate

tate in noſtro ſit ære : multumq; à no- *P. Manut. 12. 21. lib. 3. f. in fine. 33. lib. 4. in fine. Cic. 14 libr. 15. P. Man. 20. li. 2.*
bis diligatur non ſolum propter vete-
rem amicitiam ac amorē noſtrum, nec
non obſeruantiam in nos atq; noſtros,
ſed propter ſummam etiam eius huma-
nitatem, doctrinam, bonos mores cæ-
teraſq; virtutes. Iiſdem vteris rationi-
bus, cum aliquis tibi, quem alteri com-
mendes, erit cōmendatus. Illud etiam
addere poterimus, noſtram ſalutem,
dignitatem, ac vtilitatem magnæ ſem-
per illi curę fuiſſe. Quamobrem reſcri-
bemus, non poſſe nos ei non amicos eſ-
ſe, neq; ſolum amici commendatione,
quæ apud nos valeat, valueritq; ſem-
per plurimum : ſed noſtro etiam iudi-
cio ac voluntate. Ergo ſummo nos ſtu-
dio & cura, omnia pro amico, vel fe-
ciſſe, vel facturos dicemus, nihilq; no-
bis laborioſum ac moleſtum videri poſ
ſe : ſed omnia cum facilia, tum honeſta.
Quod tamen admonemur, agemus *Plin. 17. lib. 4.*
gratias: quod rogamur, queremur. Ad
moneri enim debemus, non rogari vt
faciamus, quod nobis non facere tur-
piſsimum eſt.

Si nulla tibi cum commendato erit necesſitudo, ita tamen hominem commendatum habeas velim (cum amicus ſit amici) vt tuam operam, cõſilium ac fauorem, nulla vnquam in re deſideret.

[a] Inhoneſta commendatio non eſt inhoneſte, ac inſolenter reijcienda: ſemper enim amico aliqua ex parte morẽ eſſe gerendum exiſtimo. Sic igitur reſpondere poterimus, iam diu nos deſideraſſe aliquam nobis dari occaſionem noſtri in eum animi oſtẽdendi. Et ideo dolere ſcribemus, non poſſe nos, ſalua exiſtimatione noſtra, illius morem gerere voluntati. Beneficium tamen in aliud tempus magis idoneum nos differre dicemus, quę res & ampliorem illi vtilitatem conciliatura, & noſtram beneuolentiam clarius teſtatura, nobiſq; ipſis maiori gloriæ futura ſit: non minus enim beneficium dare videtur, qui honeſte negat quod negandum iudicat, quam qui ęqua concedit. Quandoq; ea qua decet modeſtia, mirari nos dicemus, amicum noſtrum, tanta cum

Cic. 10. lib. 5.

doctri-

doctrina, tum virtute præditum, tales recipere caussas. Hominem esse crudelem, ingratum, indignum omni cōmendatione: omnia tamen nos cupere, quę amicus velit. Nam si caussa ad nos solos pertinet, nos vel remittemus, & cōdonabimus omnem nostrā iniuriam, animaduersionem, & supplicium, quo vsuri in illum essemus: vel rogabimus obtestabimurq́; amicū ipsum, ne ad crudelia, iniqua, indigna nos facienda impellat. Quodsi res ad alios pertinebit, hoc est, cum alij etiam insigni aliqua affecti erūt iniuria, tum nō in nostra esse potestate, nec si esset, fas esse, dicemus, quicquā condonare. Verum si illum, qui aliqua cōmendatione dignus iudicatur, vel sua caussa, vel eius ipsius, qui commendat: nec tibi tamen cōmendatum esse velis, nec alijs commendare, ob acceptam aliquā iniuriam, aliamue ob causam, explicabis rationes, si minus *Plin. 30. li. 6. in fine.* iustas atq́; honestas, aliqua tamē ex parte probabiles, quibus te ad id recusandum adductū esse scribes, cōmendationē tamē ipsam aliquo modo excusabis.

Verum optimi, cuiusque viri munus esse tibi persuadeas velim, nullo vnquam tempore, nec inhonesta concedere, nec honesta denegare. De hac porro materia multa etiam ex sequenti capite assumi poterunt: commendatitia enim epistola & petitoria sunt affines.

SCHOLIA.

a *Vtrum iniusta petenti amico gratificandum esset, quæstio fuit olim inter doctos, de qua erudite disputauit A. Gellius lib. 1. cap. 3.* Cicero. *Cicero quidem in Lælio, ita docet: Vt etiam si qua fortuna acciderit, vt minus iustæ voluntates amicorum adiuuandæ sint, in quibus eorum aut caput agatur, aut fama, declinandum sit de via, modo ne summa turpitudo sequatur.* Chilo. *Et Chilo Lacedæmonius vt amicum conseruaret, falsum consilium dedit, sed in fine vitæ, an id reprehendi iure posset, dubitauit. Melius profecto Pericles, quem cum amicus quispiam rogaret,* Pericles. *vt in caussa quadam pro re sua peieraret, oportet me, inquit, commodare amicis, sed vsque ad aras.* ἀλλὰ μέχρι βωμῶν. *Refertur hoc prouerbium à Plutarcho etiam in libello de vitiosa verecundia. Quo quidem admonemur, eatenus amicorum caussa à recto paululum declinare, quatenus sine numinis offensione id fieri potest,*

ne

ne propter hominis vtilitatem diuinam in nos iracundiam concitemus.

De Petitoria. Cap. XXI.

OMnes petitiones (quod genus commendatitio proximum eſt) aut honeſtæ ſunt, aut mediæ (nam turpem rem[a] non decet bonum virum nec petere, nec petitam concedere.) Honeſtam vocant conſilium, amicitiam, admonitionem, inſtitutionem, mediam vero, & quaſi neutram, pecuniam, fauorem, adiumentum pro nobis aut amicis.

Αἰτητικὴ
Cic. ep. 2. lib. 3. 12. lib. 5. 16. lib. 4. 6. lib. 15.

Commendatio cum de nobis metipſis loquimur, perquam modeſta debet eſſe, qualis habetur illa Vatinij ad Ciceronem: nunquam enim dimittere noſtrum in rogando pudorem debemus.

Idcirco antequam deſcendatur ad petitionem, ſæpe poſſumus facere nobis beneuolum illum cui ſcribimus, enumerando & illius liberalitatem ac humanitatem, qua cum in alios, tum in

Plin. 33. li. 3.

Pol. 3. lib. 1. nos vti ſolitus ſit (ideo nemini nos magis debere deſiderare, quam illi, cui alias plurimum debuimus, oſtẽdemus) & noſtram in illum obſeruantiam ac fidem.

Cic. ep. 6. li. 2. P. Manu. 7. 8. 10. libr. 2. 4. lib. 3. Præterea quam neceſſarium ſit nobis quod petitur, quamq; vtile, & quã illi à quo petimus non inutile.

In omnibus petitionibus Rhetoricum eſſe docet [b] Seruius Honoratus, hoc obſeruare, vt poſsit præſtari quod petitur, vt iuſta ſit res, vt habeat modum petitio, & ſequatur remuneratio, quæ digito quodammodo ſignificanda potius eſt aliquando, quam aperte commemoranda: & eo ſatius erit polliceri, ſi ita res ferre videbitur, gratum ac memorem animum noſtrum. Quas quidem omnes partes, in omnibus pæne epiſtolis, quibus aliquid petit Cicero, haud difficile eſt inuenire diligenter lectitanti.

SCHOLIA.

Finitima commendationi eſt petitio, altera enim alterius auxilio maxime eget. Nam & cõmendatione

tione petimus, & in petitione sæpe commendamus: vtraq; tamen proprios locos habet. Lege Brandol. cap. 26. lib. 2.

[a] *Plaut. prolog. Amphit.*

Nam iuste ab iustis iustus sum orator datus.
Nam iniusta à iustis impetrari non decet:
Iusta autem ab iniustis petere, insipientia est.
Quippe illi iniqui ius ignorant, neq; tenent.

[b] *Nempe ad hos versus 1. Æneid. quibus ista præcepta elegantißime obseruata cernimus. Sic igitur Iuno supplex ad Æolum.*

I.

Æole, namq; tibi Diuum pater atq; hominũ rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere vento.

II.

Gens inimica mihi Tyrrhenum nauigat æquor,
Ilium in Italiam portans victosq; penates.

III.

Incute vim ventis submersasq; obrue puppes,
Aut age diuersas & disiÿce corpora ponto.

IIII.

Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ,
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deïopeiam
Connubio iungam stabili, propriamq; dicabo &c.

De responsione ad Petitoriam. Cap. XXII.

Ad

Plin. ep. 5. lib. 3. Cic. 6 lib. 5. 1. lib 7. 16 li. 9. 17. lib. 2.

AD petitionem cum respondetur, si ad plura rescribendum est, ad id, quod primo petitum est responderi solet: deinde ordine ad reliqua.

Principium cuiusque rei desiderat fere semper, vel, De, præpositionem, vel, Quod, coniunctionem: vt, De successore, De præda, De rationib⁹, Quod scribis, Quod dicis, Quod quæris.

Cic. 18. li. 12.

Cum ad plures literas est rescribendum, eodem vteris ordine. & vbi ad vnas responsum est, sæpe dici solet, vnis respondi, venio ad alteras: licet quandoque nullo seruato ordine rescribat Cicero, & ab vltimis etiam incipiat, vt vel placuit, vel magis conuenire visum fuit.

Cic. 17. li. 12. Plin. 8. lib. 1. & 14. lib. 1. 18. lib. 2. 8. 15. lib. 3. P. Man. 10. lib. 4. 4. li. 13. 13. lib 2. 33. li. 3. 22. lib. 4.

Conuenit huic loco, si petita concedes, verborum quædam comitas: verbi gratia: te id ipsum, quod petit, iam destinasse, tibique, sponte currenti calcaria addita fuisse, nihil esse, quod ab amico tibi mandari aut maius, aut gratius: nihil quod honestius à te suscipi

posſit,

posſit, quam vt id agas: iniuriam tibi fieri putare cum rogaris, maiora illum cui das, eſſe promeritũ: dolere te, quod tam effuſe, tam ambitioſe ſis ab amico rogatus: plura te facturum fuiſſe dices, ſi vel per facultatem tuam, vel per illius voluntatem, vel per honeſtatem tibi licuiſſet.

Cum vel conſilium, vel admonitio, vel aliquid ſimile petitur, ingenue & libere, amice, fideliter ac prudenter cõſilium dabis, & admonebis, rem ipſam rationibus comprobans. *Plin. 23. lib. 1.*

Verum, ſi rem petitam, aliquam ob cauſſam denegabis, denegareq; tuum eſſe videretur, prætermiſſa omni verborum aſperitate, tam comiter, & tam apte rationes, cur id facias, reddes, vt non ſolum tibi amicum illum conſerues, verum etiam amiciſsimum facias. *Plin. 7. lib. 1.* Id quod fieri poterit, cum ſcribetur, *Plin. 23. li. 6.* non tantopere nobis conſiderandum eſſe, quid vir optimus in præſentia velit quam quid ſemper ſit probaturus: iudicio tamen illius ac voluntati, quã-

tum

tum rei honestas postulabit, satis faciẽdum erit: quod fit etiam interdum cum aliqua conditione.

Cic. 3. libr. 2. 5. lib. 15.

Nonnunquam licet pro amico omnia te libenter & fecisse & facturum ostendas: contraria tamen, adhibitis rationibus, persuadere conaberis.

SCHOLIA.

Conceduntur res difficiles.

Quæ à nobis per epistolam petuntur, ea vel concedimus vel negamus. quũ concedimus, si difficilia fuerint, primum amici petitionem exponemus: deinde rei difficultatem vel ab ipsius rei natura, vel à nostra facultate demonstrabimus: tum difficultates omnes superatas à nobis eius caussa ostendemus, dicemusq; id vel amicitiæ nostræ, vel eius virtuti, vel nobilitati, vel necessitati tribuisse, nosq; illi omnia debere.

Faciles.

Si facilia, gaudere nos asseremus, oblatam nobis esse facultatẽ ei gratificandi, sed nostrã in eum voluntatem aliqua magna in re ostendere vehementer cupere. Tum de nostro in eũ animo, de sua contra in nos beneuolentia, de virtutibus, in primisq; de modestia, qua in petendo sit usus, aliquid dicemus. Deinde rem ipsam ut minimam facilimamq; concedemus: rogantes ut nostra opera frequentius & maioribus in rebus uti velit: nosq; idem facturos, quum opus fuerit, ostendemus: eaq; omnia scribemus, quæ animi nostri bonitatem, liberalitatemq; declarent, ut liben-

libentissime quicquid fecimus, fecisse videamur. Si negabimus, primo eius petitionem exponemus: deinde rei difficultatem, tum ab ipsius rei natura, tum à nostra imbecillitate, à loci, temporis, facultatum, instrumentorum penuria proferemus. Rem quoque si poterimus, ei vel inutilem, vel incommodam, vel indignam eius persona ostendemus. Rogabimus deinde, vt æquo animo ferre velit: atque ita rem negabimus, vt ille per nos non stetisse, quo minus efficeretur, existimet, nostramque in eum voluntatem, beneuolentiam, fidem diligentiamque & præteritorum officiorum exemplo testabimur, & in posterum omnibus in rebus cupidissime pollicebimur: dabimusque operam, ne quid ex hac negatione nostræ amicitiæ detrahatur. Brandolin. lib. 2. cap. 26. *Quando negamus.*

De Hortatoria & Dehortatoria. Cap. XXIII.

SEquitur Hortatorium genus cum Dehortatorio suo contrario coniunctũ. Quod tum plenum esse iudicabis, cũ qui hortatur dehortaturue, alicuius est [b] auctoritatis: quę vel ętate cõparatur, vel multarum rerũ vsu accognitione, vel nobilitate, vel diuturno libera-

Προτρεπτική. Ἀποτρεπτική.

Cic. ep. 3. 4. 7, 18. lib. 2. 7. 8. 9. 10. 13. lib. 4. 6. lib. 7. ad Brutum. 1. Plin. 3, 23. li. 1. 10. lib. 2. 1. 5. 12. lib. 9.

liberalium artiũ ſtudio. Alioquin non vehemens, nec animoſa (vt decet) poteſt eſſe hortatio, non grauis & ſententioſa, non affectibus plena.

Præterea nihil te nec tua, nec cuiuſquam gratia, ad id faciendum impelli dices, ſed eius ipſius, ad quem ſcribis cauſa. Ideo pollicearis neceſſe eſt, te & amantiſsimum & fideliſsimum conſilium daturum.

Cic. ad Att. li. 10. in ep. Anto. & Cæſ. ad Cic. Cælius li. 8. epiſt. 17. Plin. ep. 3. lib. 2. P. Man. 7. lib. 3. Cic. ep. 14. lib. 5.

Oſtendes rem hortatione, ſiue dehortatione dignam: afferes commoda ſiue incommoda (ſuadentur enim vtilia, honeſta, neceſſaria, facilia factu, & æqua: contraria vero diſſuadentur) quibus ſi non ſua, Reipub. certe cauſſa ad id peragendum moueri deberet, vel ipſorum parentum, vel filiorum, vel familiæ, vel amicorum affiniumq́, vel noſtræ demum (ſi quid ad rem facere videbitur) beneuolentiæ, & neceſsitudinis: vel etiam ne inimici aliena laude ac vtilitate dolentes, maxima ex noſtris incommodis afficiantur lętitia. Multum etiam nonnunquam ad perſua-

ſuadendum valet, cum dicis, non dubitare te, quin hæc tua conſilia plurimum habitura ſint auctoritatis: & ſine his etiam amicus re ipſa reſponſurus eſſet tuæ de illo expectationi. Rationibus & exemplis res eſt corroboranda: cum qui hortantur, ſoleant [c] proponere imitandos claros viros.

Cic. ad Trebon. ep. 21. li. 15. multum refert ſi laudes eum, quem cohortere. Hoc facit ipſe ep. 1. li. 2. & 8. lib. 12. & alibi ſæpiſſime.

Hortatio, Dehortatioq; eo modeſtiores eſſe debent, quo maior eſt, nobilior, & doctior, quem hortamur, aut de hortamur. Nam conſiderandū eſt qui ſcribat, cui ſcribat & qua de re: cum variis ingeniis, vt corporibus varia ad hibenda ſit medicina. Quandoq; iisdē alii vel pręceptis, vel exemplis monendi ſunt, quibus ipſi nos monemus.

Patet epiſto. 7. ad Marcellum lib. 4. & ad Curionem lib. 2. ep. 4.

Plin. 24. lib. 4. 14. lib. 9.

P. Man. 9. lib. 1. 14. 21. li. 2.

SCHOLIA.

[a] Poſſunt etiam ſuaſoria & diſſuaſoria appellari, adiectiuum quidem ſuaſorius apud Fabium non vno loco reperitur. Eſt tamen aliquid diſcriminis inter ſuaſionem & exhortationem, nam nec eodem tendit vtraq; nec via ſimili. Nam ſuadendo id agitur, vt velis: exhortando, vt audeas. Suaſio probationibus docet, exhortatio ſtimulis excitat. ſua-

Suaſio & exhortatio differunt.

ſor ſententiam mutat: exhortator animum addit. Suademus aut errantibus, aut certe hæſitantibus: exhortamur ceſſantes, aut etiam iam currentes. Quare ſi rem ad viuum excutiamus: exhortatio ſuaſoriæ epiſtolæ pars erit, nempe epilogus, qui affectibus conſtat, non argumentis Neq; enim ſuadenti ſat erit, quid ſit optimum factu docuiſſe, niſi & ſtimulos ſubijciat, ne vel difficultate, vel periculo deterriti, vel ignauia retardati quod optimum eſſe viderimus, non ſequamur. Sed vt in ſuaſionem fere ſemper incidit exhortatio: ita in hac non raro continget vti ſuaſione. Putant quidem hortatiuam epiſtolam dici poſſe, cum hortatiuum alicubi legamus. Sed hoc genus, is, qui epiſtolicos typos conſcripſit, plane omiſit; auctor, & iudicio non ſatis limato, & græce non admodum ſciens, qui deprecatoriam epiſtolam ἀξιωματικήν, & gratulatoriam συγχαριστικὴν, vocat, cum illa voce quiduis potius quam hoc ſignificari poßit, & συγχαρίζομαι non ſignificet gratulor, ſed συγχαίρω, à quo συγχαρτικὴ, dicendum fuiſſet. [b] Suadere enim eſt grauißimæ perſonæ. [c] Proponam tibi claros viros, quod facere ſolent qui hortantur? Neminem habeo clariorem te ipſo, te ipſum imiteris oportet, & quæ ſequuntur. Cicero ad Att. li. 14. epiſt. 19. ad Dolabellam.

Auctor typorũ epiſtol.

In hoc genere præmunitione conſueuit vti M. Tullius

lius ad Marcellũ ep. 7. li. 4. Etsi eo te adhuc consilio vsum intelligo, vt id reprehendere non audeam (nõ quin ab eo ipse dissentiam, sed quod ea te sapientia esse iudicem, vt meũ consilium non anteponam tuo) tamen & amicitiæ nostræ vetustas, & tua summa erga me beneuolentia, (quæ mihi iam â pueritia tua cognita est) me hortata est, vt ea scriberẽ ad te, quæ et saluti tuæ conducere arbitrarer, et non aliena esse ducerem à dignitate. Huic sane præfationi, seu (vt appellaui antea) præmunitioni similis est ista Horatij, nisi quod breuior.

Quamuis, Scæua, satis per te tibi consulis, & scis Ep. 17. lib. 1.
Quo tandem pacto deceat maioribus vti,
Disce, docẽdus adhuc, quæ censet amiculus: vt si
Cæcus iter monstrare velit. Tamẽ aspice si quid
Et nos quod cures proprium fecisse loquamur.

Et in epist. ad Lollium, postquam dixit, Protinus vt moneam, addit, si quid monitoris eges tu. (18. lib. 1.) Cicero autem eam etiam ad eundem Marcellum epist. quæ illam proxime sequitur, ita exorditur. Neq; monere te audeo præstanti prudentia virum. Et tamen aliquanto post scribit, Illud tamen vel tu me monuisse, vel consuluisse puta, vel propter beneuolentiam tacere non potuisse. Alicubi vero excusationem non præponit, sed postponit: vt in epist. 3. ad Plancum lib. 10. Hæc amore magis impulsus scribenda ad te putaui, quam quod arbitrarer te monitis & præceptis meis egere. Quin etiam ep. 4. l. 2. ad Cu-

rionem, ita claudit, In hanc sententiam, scriberem plura, nisi te tua sponte satis incitatum esse confiderem. Et hoc quicquid attigi, non feci inflammandi tui caussa, sed testificandi amoris mei. Eleganter profecto & Naso suam monitionem excusat, quum scribit vxori in fine libri 5. Tristium.

Nec te credideris. quia non facis ista, moneri:
Vela damus, quamuis remige nauis eat.
Qui monet vt facias quod iam facis, ille monendo
Laudat, & hortatu comprobat acta suo.

De responsione ad Hortatoriam & Dehortatoriam. Cap. XXIIII.

Cic. ep. 4. lib. 10. 21. li. 16. AD Hortatoriam rescribes, gratam tibi fuisse hortationem, qua vsus fuit amicus: plurimum apud te valuisse illius auctoritatem, consilia, admonitiones: vt pote quæ ab amico, à fideli, à prudenti animo proficiscantur: omnia te facturum esse, ad quæ hortatus fuisti, etiamsi aut aliter sentires, aut dubitares, si quidem amici admonitio nos (si secus sentimus) reprimere: hortatio (si dubitamus) impellere

Plin. 19. li. 7.

Cic. 4. lib. 10.

pellere poteſt, vt id ſequamur, quod ille optimum putat. Preterea ages etiam gratias, ſemper id te in memoria habiturum commemorans.

Cum hortatus, dehortatusúe fueris de rebus, quas tua ſponte facturus, nõ facturusúe eſſes, reſpondere poteris (ſi ea, ad quæ hortatus fuiſti, in animo eſt facere) confirmari tua conſilia, cũ ſentis prudentibus, fideliterq́ꝫ ſuadentibus idem videri: ſi ſtatuiſti non facere, à quibus ille dehortabatur, te mirari dices, cur id dicat, aut talia de te ſuſpicetur: cum non deſint rationes, cur id de te, nec dicere, nec ſuſpicari deberet. Omnia tamen in bonam te accipere partem ſcribes. *Cic. 13. lib. 2. Plin. 16. lib. 2. 8. lib. 5. Cic. 16. lib. 2. P. Man. 25. lib. 2.*

Si quid vehementer addubites, in ea re de qua hortaris: te tamen facturum dices, vt hortatur, quia ipſe hortatur: tuæ tamen dubitationis rationes commemorabis. Petes igitur ab amico vt examinet ſecum, omneſq́ꝫ quos mouiſti in vtraq́ꝫ parte calculos, ponat: vt id eligat, in quo vicerit ratio: ab amico *Plin. 19. li. 2.*

Plin. 10. li. 9. enim ratio exigetur, te excusabit obsequium. Cum vero amici præceptis parere cupimus, & aliqua impedimur causa, quo minus ea exequi, possimus, tunc idoneis vtendum erit excusationibus.

De Laudatoria. Cap. XXV.

Ἐπαινετική. Cic. 14. lib. 9. 10. lib. 10. 10. & vlt. lib. 2. 13. lib. 12. 16. lib. 13. 2. lib. 15. Plin. 11. li. 3. 3. 17. li. 4. 34. lib. 6. 22. li. 7. 9. lib. 0. P. Man. 12. li. 2. 32. 42. li. 4. Cic. 12. lib. 5. 7. lib. 17.

LAudatoriũ genus, quo aut nos, et nostra, aut alios & aliena commẽdamus, sumit materiã ex reb[9] aut externis, aut corporis, aut animi: quę vel ad nos ipsos spectent, vel ad alios. Cum vel eos ipsos, ad quos scribimus, vel alios, alienaue laudamus à doctrina, iustitia, temperantia, fortitudine, acceptis beneficijs, rebus bene gestis, alijsq; virtutibus, à rerum magnificentia, copia, varietate, pulchritudine, cæterisq; rebus: illud cauendum est, ne laudatio in [a] adulationis uitium aut suspicionem incidat: tunc enim insuauis solet esse, cũ illis quibus scribimus, tum alijs. Nam ad cœlũ tollere aliquẽ verissimis & iustissimis laudibus debemus

mus. Conſultum igitur foret, ea tantū laudare, quę illis tanquam ſtimulus ad virtutem eſſe poſſunt. Solemus etiam nonnunquam alios, aliaue laudare, nō tantum quia ea omnibus digna laudibus iudicamus, verum etiam, vt illum cui ſcribimus ad aliquid faciendum cohortemur.

Plin. 3. 10. 16 lib. 1. 3. & 17. lib. 2.

Cum vel nos metipſos vel noſtra laudamus, adeo [b] modeſti debemus eſſe, et verecundi, vt nunquam ad eam laudē, niſi coacti, ſed apte tamē & cōgruenter veniamus. Impeditū eſt enim ſe ipſum (docēte Cæcina) laudare, ne arrogātes videamur: ſolum liberū, alterum miris ad cœlū laudibus efferre. Laus igitur ex aliorum lingua illuſtris, vera & ſolida habetur: ex noſtro vero ore [c] ſordeſcit fere ſemper. Quod ſi ad illos ſcribimus, quibus cū maxima nobis intercedit familiaritas, libere cū his tanquā nobiſcū loqui poſſe videmur. Quandoq; Cic. probabilē nactus materiam iocandi, plurimū ſe laudat. Temperare mihi hoc loco nō poſſum, quin huc adſcribā

Cic. 7. lib. 3. 2. & vlt. lib. 5. P. Man. 9. lib. 1. in fi. Ad Cic. lib. 6. Plin. 5. lib. 4. 23. lib. 9.

Cic. 7. lib. 5. ad Att. 14. lib. 1. fere in medio.

Cic. 11. lib. 2. 6. lib. 5.

plane festiuam & ornatã Plinij epistol. qua ille Euphratem Philosophum ab humanitate, ingenio, doctrina, eloquentia, forma & habitu corporis, sanctitate morum eximie celebrauit.

C. Plinius Arrio Clementi S.

Ep. 10. lib. 1. SI quando vrbs nostra liberalibus studijs floruit: nunc maxime floret. Multa claraq; exempla sunt, suffecerit nobis vnum, Euphrates Philosophus. Hunc ego in Syria, cum adolescentulus militarem, penitus, & domi inspexi, amariq; ab eo laboraui, & si non erat laborandum: est enim obuius & expositus, plenusq; humanitate quã præcipit: atq; vtinam sic spem ipse, quam tunc ille de me concepit, impleuerim, vt ille multum virtutibus suis addidit At ego nunc illas magis miror, quo magis intelligo, quanquam ne nunc quidem satis intelligo. Vt enim de pictore, sculptore, fictore, nisi artifex iudicare: ita nisi sapiens non potest perspicere sapientem: quantum mihi tamen datur cernere, in Euphrate multa sic eminent & elucent, vt mediocriter quoq; doctos aduertant & afficiant. Disputat subtiliter, grauiter, ornate, ac frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem & latitudinem effingit. Sermone copiosus & varius, dulcis in primis, & qui repugnãtes quoq; ducat & impellat: ad hæc proceritas corporis, decora facies, demissus capillus, ingens & cana barba: quæ licet fortuita & inania putentur, illi tamen plurimum venerationis acquirunt: nullus horror in vultu, nulla tristitia, multum seueritatis. Reuerearis, vt occursum non reformides: vitæ sanctitas summa, comitas par, insectatur vitia, non homines: nec castigat errantes, sed emendat. Sequaris monentem attentus, & pendens, & persuaderi tibi etiam cum persuaserit cupias. Iam vero liberi tres, duo mares, quos diligentissime instituit:

Eleganter & vere dictum.

ſtituit: ſocer Pompeius Iulianus, cum cætera vita, tum vel hoc vno magnus & clarus, quod ipſe prouinciæ princeps hunc inter altiſsimas conditiones generum non honoribus principem, ſed ſapientia elegit. Quanquam quid ego plura de viro quo mihi frui nō licet? nam diſtringor officio, vt maximo, ſic moleſtiſsimo. Sedeo pro tribunali, ſubnoto libellos, conficio tabulas, ſcribo plurimas, ſed illiteratiſsimas literas. Soleo nonnunquam (nam idipſum quandoque contigit) de his occupationibus apud Euphratem queri. Ille me conſolatur: affirmat etiam, eſſe hanc Philoſophiæ & quidem pulcherrimam partem, agere negotium publicum, cognoſcere, iudicare, promere & exercere iuſtitiam, quæq; ipſi doceant, in vſu habere: mihi tamen hoc vnum non perſaudet, ſatius eſſe iſta facere, quam cum illo dies totos audiendo diſcendoq; conſumere. Quo magis te, cui vacat, hortor, cum in vrbem proxime veneris (venias autem ob hoc maturius) illi te expoliendum limandumq; permittas. Neq; enim ego, vt multi, inuideo alijs bonum quo ipſe careo: ſed cōtra ſenſum quendam voluptatemq; percipio, ſi ea quæ mihi denegantur, amicis video ſupereſſe. Vale. *Vide humanitatem.*

SCHOLIA.

De laudatione, ſi lubet, lege extremum ſecundū de Orat. & Partit. orat. ſub finem. Etiam laudari poſſunt in epiſtola, qui ex hominum vita iam demigrarunt: verum ita inſtituere ſcriptionem oportebit, vt magis eos ad quos ſcribimus conſolari, quā demortuos velle commendare videamur.[a] Non ab epiſtola modo, verum ab omni quoq; cogitatione noſtra abeſſe debet aſſentatio, quæ libero & ingenuo homine prorſus indigna eſt. Neq; vlla vel perſonæ, vel neceßitatis ratio apud nos valere tantum debet, *Brandol. li. 2. cap. 9.*

vt cuiquã de ipso mentiamur. Quod si illi aliquo ingenio præditi & non plane stulti sunt, nos cuiusdam stultitiæ condemnant, qui quod nos nõ credimus, id alios credere velimus.[b] De nobis loqui numero multitudinis licet, idq; modestiæ gratia, vt nostram cum alijs laudẽ cõmunicare videamur. Immo hic primus fuit huius vocis vsus, sed postea cœpit esse arrogãtiæ & superbiæ, quod ad indicandã animi summißionẽ fuerat excogitatum. Tristißimus vitæ morumq; cultor Plutarch. Cheronæus elegantem libellũ reliquit de eo, Quo pacto quis seipsum citra inuidiã laudare poßit. Ibi non longe à principio: Vir ciuilis, inquit, gloriã non vt mercedẽ aut solatium appetit amatq; actionibus astantem: sed quod fidei & bonitatis opinio de se apud alios, plurium ac præstantiorum actionum præbeat occasiones.[c] Hinc illud vulgatißimũ: laus propria sordet. Cic. 1. Off. Deforme etiam est de se ipso prædicare, falsa præsertim, & cum irrisione audientium, imitari militem gloriosum.

De nobis numero multitudinis.

Vir bonus cur se ipse laudet.

De laudandis rebus nihil præcipit Rochus, & tamẽ illas integris epist. nonnunquam celebrari, nõ est dubium. Res igitur aut corporeæ sunt, aut corpore vacant. Illarum aliæ naturales, seu à natura institutæ sunt, vt elemẽta, & quæ in ijsdem nascuntur. Aliæ hominũ labore & industria comparãtur, vt templa, domus, vrbes &c. Earũ quæ corpore carent partim sunt artes, vt pictura &c. partim scientiæ vt Rhetorica, Philosophia &c. partim virtutes, vt iustitia, fortitudo, & aliæ. Quomodo singula horum laudanda sint, docet Brand. li. 2. ca. 10.

De laudandis rebus.

Illud

Illud ignorandũ non est, apud nos Christianos lau dari quasdam res solere, quas antiqui lumine illo cœlesti minime collustrati, non satis cognoscebant, ideo non multũ prædicabant. Eæ sunt, verbi gratia, mansuetudo & clemētia erga inimicos, immo vero amor & charitas erga eos qui nos oderunt. Liberalitas illa, qua egentibus & mendicis benigne facimus, quã græco vocab. ἐλεημοσύνην id est, misericordiã seu miserationem appellamus. Præterea dolor ille, quem ex aduersis aliorum rebus capimus, cũ alienis malis atq; incōmodis perinde vt nostris afficimur, græci vocant συμπάθειαν, nos quanquam parum latine, cōdolescentiam seu cōmiserationem; durius est, compaßio. Patientia iniuriarum & dolorum. Humilitatem vidētur magis re, quã nomine ignorasse. Vocarunt enim summißionem animi, demißionē, modestiã, & vsurpabant illa, submisse, modeste de se ipso sentire, loqui, se gerere &c. At vero cōtemptum, abiectionē, miseriam, calamitatem cũ significare vellent, humilitatis vocem vsurpabant. Cic. pro Quinctio: Quod si tu iudex nullo præsidio fuiße videbere contra vim & gratiam, solitudini atq; inopiæ: si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate caussa pendetur: nihil est iam sanctum, atq; sincerum in ciuitate, nihil quod humilitatem cuiusquam grauitas & virtus iudicis consoletur. Vt tamen libere dicam quod sentio, potius quãdam morum suauitatem illam summißionē, quam virtutum interpretati

Multa apud Christianos tantum laudantur.

Humilitas.

tati sunt, ideo illi magistri viuendi Plato, Aristoteles, Cicero nihil in præceptis de ea separatim reliquerunt. Castitas fœminarum, summæ virtutis putabatur, viris propemodum dedecori erat. Apud nos, etiam adolescentes, qui mulieres non tangunt, commendantur, vt verißime in aureolo suo libello περὶ παρθενίας *D. Ioannes Chrysostomus ita scripserit,* τὸ τῆς παρθενίας καλὸν ἀποστρέφονται μὲν ἰουδαῖοι· θαυμάζουσι δὲ ἕλληνες καὶ καταπλήττονται· ζηλοῖ δὲ μόνη ἡ ἐκκλησία τοῦ θεοῦ: *id est, virginitatis laudem Iudæi auersantur: admirantur ac suspiciunt gentes: sola autem colit Ecclesia Dei. Græca vox* παρθένος, *& latina, Virgo, in vtrumq; sexum conueniunt, quamquam vtraq; potius viridiorē ætatem cum sexu fæmineo, quam pudicitiam virginalem declarat. Proinde*
In Sileno. Adelph. *Virg. & Terentius virum licet expertas, appellarunt virgines. Et Euripid. in Ione. Vide etymologicon, & Seruium in eclog. 6 & in 11. Æneid. ad illum versum: Aduenit qui vestra dies muliebribus armis Verba redargueret. Fides, Spes, Charitas Christianorum virtutes sunt, Ethnicis ignotæ, quæ magnam ad laudandum materiam suppeditabunt.*

De responsione ad Laudatoriam. Cap. XXIIII.

Ad

AD laudationem qua ab aliquo affecti sumus, modicè ac moderatè respondendum est, nostras, & nostrarum rerum extenuando laudes. Tamen cum de nostris laudibus neq; prorsus assentiendum sit, ne nos ipsi, qua in re minime debemus, nimiũ amare videamur: neq; valde repugnãdum, ne quod in nobis est honorificũ, stulte reĳciamus, gaudebimus nos & nostros, seu nostra laudari, et eo magis, quo vel meliores, vel doctiores, vel grauiores sunt, qui aliqua nos laude prosequntur: probata, enim virtus à magnis præsertim viris, omnibus fortunis est anteponenda. Poterimus igitur nõ sine gratia dicere,[a] lætari nos à laudato laudari viro: nosq; dum nostras legimus laudes, agnoscere quodammodo, non sine maxima animi nostri voluptate ipsius: cum, qui propriam ingenĳ & virtutum gloriam assequitur, is sciat quam optimè alienas describere.[b] Et ideo referemus ad euitandam arrogantiam, vel in benignitatem dicentis,

Cic. ep. 15. l. 2. fere in princ. 6 lib. 16. P. Man 40. lib. 4. 12. li. 2. 41. lib. 3. 32. lib. 4.

Cic. 12. l. 5. P. Man. 30. li. 3. Omnes fere Politiani & ad Polit.

centis, qui ijſdem laudibus, & maioribus ornatus ſit, vel in beneuolentiam, in nos, qui neminem volumus nimis eſſe in noſtra laude liberalem.

P. Man. 31. li. 3. 34. li. 4. 14. lib. 2. 32. 40. lib. 4. 4. lib. 4.

Illum tamen fructum te ex ea laudatione conſequutũ dicere poteris, quod cum virtus [c] laudata creſcat, vimq́ꝫ cohortãdi habere videatur, magis ad virtutes, aliaſq́ꝫ res laude dignas inflammatus fuiſti. Itaq́ꝫ te enixurũ multò etiam dices, quã antea diligentius, vt accedas proxime, ſi vlla ratione poteris, quo ille te perueniſſe exiſtimat, vt aliquãdo veritati iure, quod fortaſſe nũc humanitati magna ex parte largitur.

Plin. 13. li. 8. 31. lib. 9.

Sed ſi laudes eſſent tam veræ tamq́ꝫ claræ, vt in cõſpectu fere omniũ eſſent ſitæ, negariq́ꝫ minime poſsẽt, mentionẽ illorũ faciemus (ſi qui fuerunt) honorificam, quorũ opera, ſtudio, autoritate, id factũ à nobis fuit. Verum à ſola Dei Opt. Max. bonitate profectas dicere, & pio & Chriſtiano homine dignũ eſſet. Idem etiam ſeruare poteris, cũ quis diceret, ab alijs te laudari: ni & illud ad-

Cic. 10. lib. 3.

dere velis, te cum tua lętari causa, quod ea merces detur tibi laborum & vigilia rum tuarum, tum quod ea in ciuitate tua tribuantur, quæ fortibus & industrijs viris digna sunt.

Interdum pudoris est ingenui, nihil penitus ad laudationem respondere, præsertim si præteriri silentio posit, saluo honore nostro. Id quod tum maxime fieri solet, cum & alia sunt, de quibus scribi oporteat.

Cum vero laudantur alij, eosdem & nos laudabimus, confirmantes, quod ab amico laudatum fuit, & addentes, si quid addi poterit: vitia autem tacebimus, nisi aliqua per iocum potius, quã serio vituperare voluerimus. Plin. 30. li. 9.

SCHOLIA.

Locus Cicero. ex epist. bellißima ad Lucceium, à quo petit res ab se gestas literis mandari, hic est. Atq. hoc præstantius mihi fuerit & ad lætitiam animi & ad memoriæ dignitatem, si in tua scripta peruenero, quam si in cæterorum, quod non ingenium mihi solum suppeditatũ fuerit tuum, sicut Timoleonti à Timæo, aut ab Herodoto Themistocli, sed

etiam

etiam auctoritas clarissimi & spectatissimi viri, & in Repub. maximis grauissimisq; causis cogniti, atq; in primis probati: vt mihi non solum præconium, quod cum in Sigæum venisset Alexander ab Homero Achilli tributum esse dixit sed etiam graue testimonium impertitũ clari hominis magniq; videatur. Placet enim Hector ille mihi Næuianus, qui non tantum laudari se lætatur, sed addit etiam, à laudato viro. Versus autem Næuij poëtæ, quo hoc dicentem Hectorem introducebat, videtur hic esse,

Lætus sum laudari me abs te, pater, laudato viro,

a quo exorsus est ep. 6. lib. 15. addens; Ea est enim profecto iucunda laus, quæ ab ijs proficiscitur, qui ipsi in laude vixerunt.

b Modeste recusandi laudes præsertim ingenij & doctrinæ, multa exempla sument adolescẽtes à Paulo Manutio, qui, cum sæpissime à clarissimis & eruditissimis viris laudatus sit, incredibile dictu est, quantam copiam & varietatem verborum lectissimorum sententiarumq; in illis responsionibus suis adhibuerit, cum idem semper argumentum tractaret. Itaq; sine mirifica delectatione, eorum dico qui huiusmodi suauitates amant & consectantur, legi non potest. Politianus quoq; multum & à multis laudatus fuit, verum ille imprudentius fecit, quod illas epistolas suis coniunxerit. Fortasse autem institutum suum perpetuo vsq; ad extremum tenere voluit, vt suarum epistolarum argumenta rectius intelli-

telligerentur, si eorum quoque epistolæ, quibus ipse responderet, legi prius potuissent. Cæterum in suis laudibus recusandis tam diligens & disertus non est, vt Manutius.

ᶜ Ouidius. laudataque virtus
Crescit, & immensum gloria calcar habet.
Denique non paruas animo dat gloria vires.

De Accusatoria, seu Expostulatoria. Cap. XXVII.

ACcusatio, seu Expostulatio fit, cum aliquem accusamus, aut cum de aliquo alicuiusue vitio expostulamus. Accusamus illum, qui quod promiserat, non præstitit: item accusamus aliquem breuitatis epistolę, tarditatis, negligentiæ, intermissionis litterarum, modeste tamen & ingeniose. Querimur non recte esse quid ab aliquo factum, potissimum erga nos, aut res nobis charas, & relictos nos esse ab aliquo.

Ἐπιτιμητικὴ ἢ μεμπτική.
Cic. ep. 6. li. 3. 9 & 14. li 7. Plin. 11. 13. l. 1. 26. lib. 2. 22. lib. 8. 26. lib. o.

Cum alium accusant docti, de alioue conqueruntur, causas addere solent, lenissimis vtentes verbis, cur mirentur,

Cic 9. ex li. 7. 26. li. 10. 16. & 17. ad Brutum.
P. Man. 22. li 2. 23. 24 l. 4

tur, cur querantur, cur illud recte factum non sit: illud solum agentes, vt illud in posterum nolit fieri, magisq́ solliciti videantur esse de futuro, quam dolere de præterito. Ideo aut petunt, aut hortantur, aut rogant, ne post hac ea,[a] non faciat solum, verum etiam aliqua virtute compenset.

Interdum nos etiam ipsi excusamus amicũ, cur aliquid prætermiserit, omiseritue, vel non credentes illum fuisse in causa, vel errorem vitiumue aliquo modo extenuantes.

[b] Debet præterea qui alios reprehendit, omni vacare culpa. Idcirco Cicero cum alicuius se suspectum esse rei arbitratur, diligenter se expurgat, factumq́ suum cum facto illius, quem accusare paratus est, si opus est, cõparat.

Cic. 6. libr. 3. 14. lib. 4.

Aliquando simpliciter querimur de aliquo, adhibitis tantum causis nostræ querelæ.

SCHOLIA.

De genere accusandi lege cap. 19. & 20. lib. 2. apud Brandol. a Huiusmodi locutio, in qua alterum non

non desiderari videtur est, multis ignota & parum intellecta. Esse tamen probam & Ciceroni vsitatam compluribus exemplis ostendit Paul. Manut. in epistol. 9. lib. 1. ad famil. & Muretus in 1. Catilinar. ep. 6. l. 1. ad Att. Regnũ non modo Romano homini, sed ne Persæ quidem cuiquam tolerabile. Et ad eundem lib. 1. Mihi non modo irasci, grauißima iniuria accepta, sed ne dolere quidem impune licet. ep. 17. lib. 9. ad famil. hoc tamen scito, non modo me, sed ne ipsum quidem principem scire, quid futurum sit. Varro libr. 8. de ling. lat. Dicam de vniuersa analogia, cur non modo videatur esse reprehendenda, sed etiam cur in vsu quodam modo sequenda. Reliqua testimonia ex M. Tullio, quæ à duobus illis eloquentißimis viris adducuntur tute legas. b Ne occinatur illud:

Loquendi modus parum intellectus.

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum,
Quam aut aquila aut serpens Epidaurius?

Horat. sat. 3. lib. 1.

Et illud Catullianum,

Non videmus manticæ quod in tergo est.

Et Plautinum,

Vitium quod de me prædicas, id tibi est.

In Asinar.

De responsione ad Accusatoriam seu Expostulatoriam. Cap. XXVIII.

Cic.19.li.15. ad Att. 16.li. 21. P. Man.18. lib. 1. Cic.28. lib.11. Plin.17.28. lib.7.19.li.9. P. Man.22. lib. 2.

AD Expostulatoriam, Accusatoriamq; ea pertinere omnia videntur, quæ supra in excusando necessaria esse diximus.

Illud præterea hoc loco considerandum est, iusta ne accusatio sit, seu expostulatio, an iniqua: si iniqua, vel non fecisse, dixisseue, dicemus: vel recte nos fecisse, aut dixisse honestis quidem rationibus & modestis comprobabimus: deinde grauem nobis non fuisse illam accusationem monstrabimus, sed gratam potius, cum ab amico animo, à prudenti, à fideli venerit.

Si, qui scribit, iustam nos accusandi causam habebit, extenuabimus rem ipsam, aut non consulto eam nos fecisse dicentes, aut aliorum peccatis coactos. Quandoq; non crimen, sed culpam, à nobis amouemus in aliumq; hominem, vel in quampiam rem conferimus. Sæpe comparata causa dicimus necesse fuisse alterum facere: & id quod fecerim⁹, satius fuisse. E duobus enim malis, cum fugiendum maius sit,

Cic. 2. lib. 10.

minus

minus est eligendum. Verum si merito reprehendimur, nulloq; modo crimen à nobis nec remouere nec reijcere in alium hominem, aliamue rem possumus: confitendum est libere & ingenue delictum amico (modo id tibi apud alios nulli vel vitio, vel fraudi esse posſit) vbi non solum parata solet esse venia, sed summa etiam laus.

Cic.7.lib, 9. Ad Att.9. l.b. 11. P.Man.3.li.4.

SCHOLIA.

Multa præterea de hoc epistolarum genere afferri possent in medium, sed consultius putamus adolescentes ad Brandolin. mittere, qui de excusandi siue defendendi genere lib.2.cap.21.erudite disputauit. Lege, si placet, quæ scripta sunt de statu seu constitutione assumptiua à Q. Cornificio ad C. Heren. lib.1. Non sunt enim hic inculcanda, immo nec admodum religiose in scribendis epistolis obseruanda, vt antea docuimus.

De exprobratoria. Cap. XXIX.

EXprobratio etiam, qua in illos solemus vti à quibus pro officijs, nulla

ὀνειδιστική.

nulla nobis relata est gratia, sub Expostulationis genere contineri videtur: quæ licet turpis illa quidem (vt fatentur omnes) & vix tolerabilis sit: quia a meminisse debet, qui accepit beneficium, obliuisci qui dedit: interdum tamen ingrati animi vitium impellit
Cic. 8.5. lib. 5. nos ad exprobrandum. Itaque sic moderanda est, non vt te collati beneficij pænituisse dicas, ac illius vitio tuam immutaturus sis sententiam: sed vt ostendas maleficium pro beneficio non esse reponendum: & virum bonum semper cum memorem beneficij, tum gratum esse oportere.

Cic. 17. lib. 5. Commemorat interdum Cicero officia omnia, quæ amico præstitit, non quò aliquid aut queratur, aut exprobret: sed quò ex hac beneficiorum cõmemoratione ad ipsam descẽdat hortationem, siue cõsolationem, faciliusq́ quæ velit persuadeat, aut alia præstet beneficia.

SCHOLIA.

Cum

Cum amicis expostulamus, inimicis & ingratis exprobramus. Quapropter in illo genere mitiores, in hoc aliquanto seueriores sumus. Et quoniam ab humanitate videmur recedere, ita loquamur, vt appareat nos id facere coactos quod facimus, & ab ingrato homine beneficiorumque immemore impulsos. Huic formæ epistolarum abrupta initia conueniunt. Exemplum illustre est illa Medeæ ad Iasonem apud Ouidium. a Propterea scilicet pinguntur virgines & iuuenes Gratiæ, quod accepti beneficij recordatio nunquam senescere debeat, aut intermori. Item vnam auersam duæ aliæ conspiciunt: quod pro accepto beneficio duplicem, & quasi cum fœnore gratiam rependere debeamus. Quomodo enim? Cum non modo pulchrius, sed iucundius etiam sit beneficio afficere quam affici: nec vlla res perinde magnum gaudium pariat, ac beneficentia, quod ipsa quoque Gratiarum nomina declarant. de Gratijs lege venustum emblema apud Andream Alciatum. *Pictura Gratiarum.*

De responsione ad Exprobratoriam. Cap. XXX.

AD exprobrationem eodẽ modo est respondendum (si iustam exprobrandi causam habet) quo

ad Accuſatoriam reſpondiſti, ea tamē modeſtia & tranquillitate animi, vt paupertatē tuam excuſans, viriumq́ imbecillitatem & fortunam ipſam, aliquidue ſimile, nec immemor beneficij, nec ingratus vir habearis.

Polliceberis tamen te, ſi vllo vnquā tempore data fuerit occaſio, re ipſa præſtaturum, vt homini non ingrato ſe beneficium tribuiſſe cognoſcat.

Si nulla eſſet cauſa (ſolent enim quādoq́ homines, vel natura ipſa, vel aliqua alia ratione adducti, iuſta & debita etiam officia commemorare, aut præter rem exprobrare) tum poteris & aptè, & commode dicere, relatam tibi potius eſſe gratiam, quàm beneficiū præſtitum, aut parem te vicem, aut aliqua ex parte pro viribus tuis reddidiſſe: indiesq́ maiorem ſi per tuas fortunas licebit, redditurum.

Quamobrem concludes nihil fuiſſe, cur talia diceret, cum illa commemoratio, quaſi exprobratio fuerit immemoris

ris beneficij, à quo vitio tam te alienũ esse scribes, quam, qui plurimum.

De Inuectiua. Caput. XXXI.

Ab hoc genere nõ separant Inuectiuas, quando in aliquem inuehimur, & atrocissimis verbis alicuiꝰ scelera, vt ingrati, vt crudelis, vt infidi, vt tyranni insectamur. Quæ probandę sunt quatenus ad insectationem vitij, aliosq; ab eo vitæ genere deterrẽdos paratæ sunt: nam vt inuadẽdum est in vitia, ita homini quantum fieri poterit parcendum, optimi quiq; existimant.

Ἐπιτιμητική. Plin. 4. lib. 2. Cic. 7. lib. 3. vlt. med. 13. l. 8. 10. lib. 11. ad Att. 10. li. 7. 4. li. 8. 6. 8. li. 14. ad Octauium. P. Man. 2. 12. li. 2.]

SCHOLIA.

Satis fere omnes propensi sumus ad obiurgandũ & admonendum, ipsi obiurgari & admoneri vix sustinemus. Recte in monostichis.

ἅπαντες ἐσμὲν εἰς τὸ νουθετεῖν σοφοί
αὐτοὶ δ' ἁμαρτάνοντες, οὐ γιγνώσκομεν.

εἰς παραίνεσιν.

Ad admonendum omnes sumus promptißimi,
Peccata sed nostra tamen haud agnoscimus.

Quare non est ita necesse nos multa hic præscribere. qui aculeatas quærit inuectiuas, Politianũ legat, is aduersus quendam Scalam acerbe scripsit. Sane cum & accusando & exprobrando vehementibus esse liceat, in hoc genere epistolarum multo vehementioribus, capit enim omnem ex iracundia profectam orationis acrimoniam, omnesq́ dentes. Christiano tamen homini, sicut moderate irascendũ, ita quoq́ moderate in alios inuehendum est: vt amarities obiurgationis quadam lenitate & mansuetudine temperetur.

De responsione ad Inuectiuam. Cap. XXXII.

INuectiuę ac maledicę epistolę, vel [a]nihil respondendũ esse optimi quique, doctissimiq́ viri existimant, vel non illico, vbi ea reddita, sed [b]sedata commotione animi, & refrigerato ardore illo perturbationis.

Ad Q. F. ep. 1. Cic. 7. 8. lib. 3. 2. lib. 5.

Sed tum omnia epistolæ, epistolarumue accusatoris capita ponenda sunt: deinde pacate & moderate omnia ordine refutanda, rationibus subiectis, aut attenuanda suspicio. Vitam nostram ex anteactis spectandam esse scri-

ſcribemus, nullã nobis cauſſam, vtilitatem, aut commodũ fuiſſe id faciendi, dicendiue, immo incõmodum, damnũ dedecus.

Quandoq; nõ omnibus accuſatoris capitibus in principio repetitis, ſed ordine tantum, quod primum dixit, primũ refutabim⁹: in vna quaq; cauſſa repetẽdo (quod ſolet Cic.) accuſatoris verba.

Amicitiam nos quo ad ipſe volet, cõſeruaturos indicabimus: nam ſemper debet eſſe inuectiuæ modeſta reſponſio, non arrogans, non ſuperba, procul ab omni ira: licet quandoq; & Cicero, & alij grauiſsime læſi & non tantum ſua, quantum vel Reipub. vel aliorũ, aliarumue rerum cauſſa irati, acerbiſſime reſcripſerint. *Cic. 28. lib. 7. 3. lib. 11.*

SCHOLIA.

Soſitheus poëta coram populo Cleanthem præſentem hoc carmine proſcidit. ὂυς κλεάνθους μωρία βουλατεῖ, quos Cleanthis fatuitas agitat. Ille tanto conuitio tactus, vultum non mutauit. Qua patientia delectati auditores, applaudentes Philoſopho, Soſitheum eiecerunt. Quum *Apophtheg.*

Soſitheus

Sositheus diceret se pœnitere, quod eum maledicto aspersisset, respondit Cleanthes, absurdum fore, si quum poëtæ frequenter illudant Libero patri, & Herculi, nec illi succenseant, ipse ob leue conuitium indignaretur. De dijs enim multa probrosa scripserunt poëtæ. Magna fuit hominis huius & Christianis imitanda moderatio, qui cum ipsi Deum sæpe offendant grauiter, & eius tamen animaduersionem non sentiant, par est, vt exemplo conditoris sui, non statim de vindicta cogitent, sed vincant in bono malum, vt Paulus docet. Quod si respondendum fuerit, ne quid perturbato animo dicatur & fiat, vt sine ira irasci videamur.

[b] Impedit ira animum ne possit cernere verum.

Apophtheg. *Imitandus erit Philosophus ille, qui aliquando iratus seruo, male te multarem inquit, nisi iratus essem. Sic nos ad inuectiuam respondere subito possemus, nisi irati essemus.*

De Excusatoria, seu Purgatoria. *Cap. XXXIII.*

Παραιτητικὴ ἢ Ἀπολογητική. *Cic. 7. li. 1. 15. 17. lib. 2. 3. 7. lib. 6. 1. lib. 8. 18. 31. 35. li. 10. 21. 24. lib. 16.*

EXcusatio qua vel nos, vel alios, de tarditate, raritate, lõgitudine, ac breuitate literarũ excusamus: deque omnib⁹ ijs rebus, de quibus aliqui vel nos, aliosuè accusant, vel de nobis con-

conqueruntur, accuſare, conqueri- *Ad Att. 6. 32.*
ue poſſunt, ſimplicem, breuem & dilu- *lib. 2. 2. lib. 3.*
cidam expoſitionem habere debet, cũ *2. lib. 4.*
attenuatione ſuſpicionis. *Cic. ad Brut. 17. 15.*

Ad Q. F. 1. l. 1.
In hoc genere ſi poterimus, crimen *Plin. 8. lib. 14.*
à nobis remouebimus, ſin minus, affe- *lib. 3. 14. lib. 3. 4. li. 5. 4. li.*
renda eſt facti ratio, culpaq; reÿcienda *6. 20. lib 7. 12*
vel in fortunam, vel imprudentiam, *lib. 8. 8. 29. lib. 9.*
vel neceſsitatem, excuſando pauper- *P. Man. 7. 10.*
tatem orationis, ignorantiam, angu- *lib. 14. 18 lib.*
ſtias temporis, occupationes, morbos, *2. 27. lib. 4. Polit. 12. lib.*
pericula, & huiuſmodi res, quibus ad *lib. 4. 7. lib. 6.*
aliquid, aut pro amicis, aut pro nobis *Cic. 14. lib. 6. 1. 3. lib. 14.*
etiam ipſis faciendum, nõ faciendum- *ad Att. 1. li. 1.*
ue adducti fuimus.

Ingenui tamen hominis eſt, pro lo-
co & tempore, rem non modo fateri,
ſed petere etiam vt ſibi ignoſcatur: &
polliceri, ſe negligentiam illam, iactu- *Plin. 35. li. 9.*
ram temporis, non præſtita beneficia,
& reliqua id genus, aſsidua diligentia,
multo labore, cura, ſtudio, & amore,
vel cum fœnore compenſaturum.

Perquam feſtiua tamen, & venuſta
habetur excuſatio, cum eodem crimi- *Cic. 1. lib. 2. vlt. 6.*
ne

ne amicum condemnandum esse dicimus, quo nos vel comdemnat, vel condemnare posset. Huc pertinet (quod huius generis videtur esse proprium) cum vel nō accusati excusamus nos, rationesq́; in medium afferimus, cur aut aliquid fecerim⁹, dixerimusue, aut amicū hortati ad aliquid fuerimus, vt puta cū semel atq́; iterū, vel sæpius aliquem eidem cōmendas, viderisq́; illius liberalitati, cui scribis, diffidere: tū enim causas quam obrem id facias, explicabis.

Cic. 5. lib. 2. in fine. 7. 8. li. 4.

Ad Att. vlt. & penul. l. 16.

De respons. ad Excusatoriā, seu Purgatoriam. Cap. XXXIV.

AD excusationem responsio adeo modesta erit, vt rem non aliter me accepisse dicam, quam ipse vel fecerit, vel dixerit. Ideo si quis se excusat, cur vel sępe eodem exemplo, vel rarius scribat, & huiusmodi, accipiam excusationem qua vsus est ex ea parte, quæ ad scribentis honorem spectat. Nam cum nostra amicitia nullas recipere debeat suspiciones, nec amicus

Cic. 4. lib. 4. 15. lib. 9. 4. lib. 10. Ad Att. 7. l. 11. Plin. 13. lib. 7. P. Man. 24. lib. 2.

Suspicio venenum amicitiæ.

Pecare

peccare prętermittendo officio poteſt, nec nos animum illius aliter atq; eſt, interpretari. Quocirca tollendæ penitus ſunt ex mutua noſtra beneuolentia omnes ſuſpiciones.

Verum cũ modeſtiæ cauſſa diceret, vel pauperẽ ſe eſſe orationis, vel indoctum, vel aliquid ſimile, id nunquam concedere, noſtræ etiam eſt modeſtiæ, vel potius humanitatis.

Paupertate orationis ſe laborare ſcripſerat Sulpicius ad Cic. ep. 4. lib. 4.

Dicam aliquando iuſtam, & idoneã eſſe excuſationem: id tamen ne ſæpius faciat rogabo, rationeſq; ſubijciam: & demũ aſsiduitate potius literarũ, aut aliqua alia re explendum eſſe officium, quam accuſatione oſtendam.

Cic. 25. li. 16.

Quod ſi excuſatio minus probabilis videretur, inueniendæ ſunt rationes, quibus modeſte oſtendamus, non eſſe accipiendã: admonebimuſq;, vt maiorẽ in poſterũ, aut vtilitatis, aut honoris ſui, aut cõmodi aliorũ rationẽ habeat.

Hæc tamen omnia ita ſcribenda ſunt, vt ad virtutes potius bonoſque mores ille inflammetur quam ad vllam

lam prouocetur iram: & eo considerā-da est hominis natura, & illi quandoq; sic indulgendum (etiamsi minus idonea videatur caussa) vt nocere tibi minime posʃit.

De Deprecatoria. Cap. XXXV.

παραιτητική.

HÆc forma immerito prætermissa est à quibusdam, cum eius vsus non minus quam cæterarū, frequens videatur. Ergo in hac epistola peccatum, seu culpam nostram aliorumue, quorum nomine scribimus, plane aperteq; confiteri solemus, hoc primum.

Tum orare, vt nobis, vel illis venia tribuatur. Quam vt facilius impetremus, rem siue crimen extenuabimus his modis & rationibus. Quod per imprudentiam, quod per ætatis imbecillitatem, quod nunc primum, ante hac nunquā in illud vitium inciderimus. Addemus, nos, seu illum pro quo scribimus, in magno mœrore versari, præ pudore domo pedem nō efferre, time-

re

re omnia, & non mediocrem ob admiſſam culpam dolorem præſeferre, vt miſericordia dignus videri poſsit.

Ad hæc eius quem placare voluerimus lenitatem clementiamq; laudabimus, & ex antecedente probitate hominis qui peccauit, ſpem bonam illi faciemus, vt ipſum ſupplicantem venia impertiuiſſe non pœniteat. Inueni huius generis exemplum apud Plinium, quod, & quia breue, & quia ſuaue eſt, non grauabor adſcribere.

C. Plinius Sabiniano ſuo.

Libertus tuus, cui ſuccenſere te dixeras, venit ad me, ad *Ep. 21 lib. 9.*
uolutuſq; pedibus meis tanquam tuis hæſit, fleuit
multum, multum rogauit, multum etiam tacuit: in ſumma, fecit mihi fidem pœnitentiæ. vere credo emendatum, quia deliquiſſe ſe ſentit. Iraſceris ſcio, & iraſceris merito, id quoque ſcio. Sed tunc præcipua manſuetudinis laus, cum iræ cauſſa iuſtiſsima eſt. Amaſti hominem, *γνώμη.*
& ſpero amabis. interim ſufficit vt exorari te ſinas. Licebit rurſus iraſci, ſi meruerit: quod exoratus excuſatius facies. Remitte aliquid adoleſcentiæ ipſius, remitte lacry- *Blandam vim*
mis, remitte indulgentiæ tuæ: ne torſeris illum, ne tor- *adhibet.*
ſeris etiam te. torqueris enim cũ tam lenis iraſceris. Vereor ne videar non rogare, ſed cogere, ſi precibus eius meas iunxero. Iungam tamẽ, tanto plenius & effuſius, quanto ipſum acrius, ſeueriuſq; corripui, diſtricte minatus, nunquam me poſtea rogaturum. Hoc illi, quem ter-

reri oportebat: tibi non idem. nam fortasse iterum rogabo, iterum impetrabo : sit modo tale, vt rogare me, vt præstare te deceat.

De responsione ad Deprecatoriam. Cap. XXXVI.

LAudare initio poterimus confessionem culpæ, & ea nos maxime impelli dicemus ad ignoscendũ, siquidem ignoscere pulchrũ iam misero, pœneq; genus, vidisse precãtem, vt ait Claudianus. Cupere nos, quantũ in nobis est, nemini prorsus irasci, neminẽ punire, sed aliorum delictis à mãsuetudine nostra ad iustissimã iram aliquãdo traduci, immo potius trahi. Nihilominus semper apud nos plus valuisse illam ad ignoscendũ, quam istam ad puniendum, nec nos tam aliorum iniuriis lędi, quã summisione placari. Pollicebimur, si ita se in posterum gesserit, vt promiserit, nos illum multo chariorem habituros. Deniq; alia huiusmodi non insuauia paulum cogitanti, & epistolam deprecatoriam inspicienti, in mẽtem venient. De

De Iocoſa. Cap. XXXVII.

Παικτικὴ ἢ Σκωπτική.

RElíquũ eſt Iocoſum genus, in quo ſedem eſſe aiunt riſum: eo enim vtimur, cum de rebus iocoſis loquimur. Sed acre ad iocos adhibendum eſt iudicium: nam non cum omnibus iocandum eſt, ſed inſpicienda eſt perſona, & pro perſonæ qualitate iocandum & non iocandum eſſe cenſeo: cum ſint, qui iocum nec dicere ſoleant, nec ferre poſsint.

Cic. vlt. lib. 1: omnes fere lib. 7. ad Trebat. & multæ ad ſetum lib. 9. Plin. 6. lib. 1. 12. lib. 7. P. Man. 17. li. 1. 27. lib. 3. fere in fine. 52. lib. 4. Cic. 12. 23. lib. 7. Plin. 15. 21. lib. 1. Cic. 1. de offic.

Illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum iocandi genus eſt reijciendũ, amplectendum elegans, vrbanũ, ingenioſum, facetum. Iocoſe aliquem carpere, & de eo conqueri, quandam affert gratiam: nam iocãdo poſſum aliorum dicta, ſentẽtias, & facta cõfutare.

Sed cum iocus naturæ ſit munus, in eoq; ob acumen & leporem, quibus rebus ioci commendantur, & admiratio, & delectatio ineſſe ſoleat, illud maxime cauendum eſt, ne dum nos ridicula dicere volumus, in ridiculo ipſi ſimus.

SCHOLIA.

Iocosis & facetis epistolis mirum in modum delectatus est M. Tullius: tantumq; εὐτραπελίᾳ indulsit, vt vix vllam iocandi occasionem prætermittere potuerit, sed quemadmodum in congressu & coram facetus erat, ita etiam in literis, quibus absens cum amicis loquebatur. Nec vero hoc iocandi studium obscure tulit. scribit enim ad Papirium epist. 5. lib. 9. Ego autem (existimes licet quod lubet) mirifice capior facetijs. Item ad Volumnium ep. 32. libr. 7. Vrbanitatis possessionem, amabo, quibusuis interdictis defendamus. Quam autem prompto ad iocandum fuerit ingenio, & quam in promptu iocos habuerit, atq; vt ab illis temperare sibi nō potuerit, quam deniq; natura φιλογέλοιος, & φιλοσκώμμων fuerit, in ea ad Papirium Pætum epistola, quæ illam proxime sequitur, declarat. Effugere autem si velim nonnullorum acute aut facete dictorum offensionem, fama ingenij mihi est abijcienda: quod si id possem, non recusarem. Porro Cicero hac cautione vtitur in suarum epistolarum iocis, vt non velit nisi tempestiue iocari. Sed quid ago, inquit, quum mihi sit incertum, tranquillo ne sis animo, an, vt in bello, in aliqua maiuscula cura negotioue verserе? addit. quum igitur mihi erit exploratum, te libenter esse risurum, scribam ad te pluribus. Item ep. 4. lib. 2. Iocer ne tecum per literas?

Cicer. facetus.

Cautio.

nas? ciuem me hercule non puto esse, qui temporibus his ridere poßit. Aliquando etiam in rebus seuerißimis vtitur iocis. Aliquando ex ipso loquendi genere iocandi occasionem arripit. Sed diligens lectio ipsius epistolarum, præsertim earum, quæ sunt ad Atticum, & hæc & plura docebit.

Solet autem suas iocationes ita claudere. Sed iam satis iocati sumus. Sed hæc iocati sumus, & tuo more, & non nihil etiam nostro. Sed de ioco satis est. Ac plærunq; his alijsq; huiusmodi loquendi generibus transitũ sibi à iocoso sermone ad serium parat. Nõ nunquam vero dicit, Extra iocum, vel, remoto ioco. Alicubi contra, aliquid suo iocoso sermoni præfatur, quo verba sua non esse serio loquentis præmoneat. Sic tu (libet enim mihi iocari) quod disertum non erit, ne putaris meum. Vicißim vero alicubi admonet, ea quæ dicit, non esse iocantis verba. Atq; hæc nolo me iocari putes. Sed hæc de illis epistolis dicta sunt, quæ mixtos habent iocos. Cicero quomodo concludat ioca sua.

De responsione ad Iocosam Cap. XXXVIII.

AD iocosam epistolam iocose respondebo, modo ne quis offendatur. Ad graues viros, & maiores, habita omni ratione grauitatis, dignitatis, & ętatis, modeste est respõ- Cic. 10.11. li. 7. 16 17. li. 9. vlt. med. 20. eiusdem.

dendum. Nam non eodem modo ad omnes rescribam: in pares siquidē & inferiores licebit vti iocis: in alios vero, vel nō vtar, vel modice vtar, aut etiam intra modum.

SCHOLIA.

De ridiculis & iocosis eleganter & copiose disputatum est à Cæsare in 2. de Orat. ad Q. F. vbi tota res in duo genera diuiditur, & loci complures afferūtur, vt siquis eam partem diligenter accurateq; cognouerit, ei materia ad iocandum deesse vix possit. De facetijs item & iocis admodum fuse & praeclare disputauit libris de Sermone Iouianus Pontanus. Præter hos legendi sunt scriptores, quorum ingenia naturæq; ad iocandum & ludēdum propensiores fuerunt. qualis inter græcos est Aristophanes Comicus, vel ipsius M. Tullij iudicio facetissimus. Qualis eiusdem sententia Plautus, de quo illa in 1. off. grauiter sane scripta sunt. Duplex omnino est iocandi genus: vnum illiberale, petulans, flagitiosum, obscœnum: alterum elegans, vrbanum, ingeniosum, facetum. Quo genere non modo Plautus noster, & Atticor. antiqua comœdia, sed etiam Philosophorum Socraticorum libri referti sunt, & quæ sequūtur. Macrobius Saturnal lib. 2. varios multorum iocos refert. in eodem lib. cap. 1. & Plauto & ipsi M. Tul-

1. de leg. Scriptores faceti.

M. Tullio huius rei magnam facultatem tribuit, sic enim ait. Et iam primo animaduerto duos, quos eloquentissimos antiqua ætas tulit, Comicum Plautam, & oratorem Tullium, eos ambos etiam ad iocorum venustatem cæteris præstitisse. Plautus quidem ea re ita clarus fuit, vt post mortem eius comœdiæ, quæ incertæ ferebantur, Plautinæ tamen esse, de iocorum copia noscerentur. Cicero autem quantum in ea re valuerit, quis ignorat, qui vel liberti eius libros, quos is de patroni iocis composuit, quos quidam ipsius putant esse, legere curauit? *Idem Gellius lib. 3. cap. 3.*

De[a] Flebili, seu Lacrymosa. Cap. XXXIX.

FLEbile genus faciunt nonnulli, cum aut querimur, aut dolemus, aut ingemimus, aut cruciamur aliquid vel nobis, vel parentibus, vel amicis, & affinibus, vel patriæ accidisse incommodi. *Θρηνητική. Cic. 9. lib. 14. ad Att. 4. lib. 1. 4. lib. 10. Plin. 5. 6. l. 5.*

In quo quidẽ genere rationes nostri doloris, gemitus, cruciatus, afferendæ sunt: & quam spem, si vlla est, &

& qua in re quoue in homine habeamus.

Solet flebilis epiſtola gaudere interrogationibus, & exclamationibus,* vt & magis illum ad quem ſcribimus, mouere poſsimus, & noſtrum dolorem ac mœrorem non mediocrem eſſe ſignificemus: modum tamen aliquem in illis, vt omnibus aliꝭs in rebus, adhibendum eſſe tibi perſuadeas velim.

τὸ γὰρ μέτρον ἐστὶν ἄριστον.

Sciant vero ſtudioſi adoleſcentes, non omnibus epiſtolarum generibus, quale videmus eſſe flebile, certas poſſe præſcribi regulas de illarum œconomia, quocirca ea tantum à nobis ponuntur, quæ apud doctos obſeruari animaduertiꝗ; potuerunt.

SCHOLIA.

[a] Poterit etiam appellari triſtis & miſera. Cicer. ep. 13. li. 4 relinquebatur triſte quoddam & miſerum, & his temporibus vſitatum genus literarum. Item, miſerabiliter ſcripta, vt ad Atticum lib. 10. de quadam Cœliꝭ epiſtola loquitur. Tales ſunt libri decimi quarti, in quibus eius gemitus & lacrymas videmus, & quædam ad Atticum, vt lib. 11. 7. In

qua

qua præter alia hæc ſcribuntur. O rem miſerã. Quid ſcribam? aut quid velim? Breue faciam. lacrymæ enim ſe ſubito profuderunt. Et paucis interiectis. Ignoſce, obſecro te; non poſſum præ fletu & dolore diutius in hoc loco immorari. Aliæ vero multæ ſunt epiſtolæ, in quibus licet fletus mentionem nõ itidem faciat, omnino tamen flebiles vocari poſſunt. Ex earum numero eſt 13. lib. 4. vbi triſte etiam illud & miſerum genus literarum ſe deficere ait. In eadem cum alia, tum hæc ſcribit. Sæpiuſq; mihi veniebat in mentẽ queri quod viuerem, quam gaudere quod viuerem. Et paulo poſt. Tamen ijs conficior curis, vt hoc ipſum quod maneam in vita, peccare me exiſtimem. Sed alicubi tamen afflictum ſe erigere conatur, alicubi etiam ita fractum eſſe negat, vt fortunæ ſuccumbendum putet, vt in 11. lib. 9. Sed cũ in nonnullis locis eorum quos protulimus, tum in alijs videtur Cicero magis, quam virum fortem deceret, in gemitus & lamenta ſe effudiſſe, nam vt ait Pacuuius,

Conqueri aduerſam fortunã non lamentari decet:
Id viri eſt officiũ, fletus muliebri ingenio additus.

Sed hoc Ciceronem excuſat, quod in epiſtolis potius quam in alijs ſcriptis talẽm ſe oſtendat, & quidem inter eius epiſtolas illæ potiſsimum ſint miſerabiliter ac flebiliter ſcriptæ, quæ ſunt ad vxorem. magis enim venia dignus videtur qui apud mulierem lamentatur muliebriter, quam qui apud virum. *Cicero excuſatur.*

De

De responsione ad Flebilem, seu Lacrymosam. Cap. XL.

Plin. 17. lib. 9.

AD flebilem epiſtolam eo reſpondendum ordine cenſeo, quo in conſolando vtendum eſſe infra dicemus.

De Conſolatoria. Cap. XLI.

Παραμυθητική. Cic. 2. li. 2. 10. lib. 3. 5: lib. 4. 14. 16. lib. 5. 4. li. 6. ad Att. 10. 11. li. 12. 5. lib. 4. Plin. 10. 21. lib. 8.

IN conſolando natura nos docet, vt primum alterius infelicitate, moleſtia, dolore, rei alicuius iactura, & morte doleamus: deinde blande & amice reddamus rationes, quibus amicum à moleſtijs, & dolore abducere conemur, eum vehementer hortantes, vt omnē aduerſam fortunam fortiter ferat: & quid ſit forti & ſapienti homine dignum cogitet, quid grauitas, quid altitudo animi, quid acta eius vita, quid ſtudia, quid artes ab eo flagitent, quibus à pueritia floruit, quid ipſa natura, quid tempora, quid neceſsitas. a Non illi ſolum id accidiſſe: ea nos cō-

Pol. 8. lib. 2. 1. lib. 4. P. Man. 18. li. 1. fere in med. 47. lib. 4. Ad Att. 2. lib. 15.

ditione

ditione natos eſſe, vt nihil quod homini accidere poſsit, ręcuſare debeamus: Turpe eſſe expectare temporis medicinam, quam repręſentare ratione poſſumus: & (quod omnium maximum eſt) acquieſcendum eſſe in ſummi Dei voluntate, cuius nutu iuſte, clemẽter, & ſapienter fiunt, reguntur, gubernantur omnia: cuiuſq; proprium eſt, dolorem & incommoda omnia in lętitiam vtilitatemq́; mutare.

Poteris quandoq; à rationibus incipere ipſis, quibus aliquãdo amicus cõſolatus te fuit. Indignum enim viro eſſe exiſtimant docti, [b] quod alteri præceperit, id ipſum facere non poſſe, vel non conari. *Cic. ep. 9. ad Brut. P. Man. 46. li. 4. in fine.*

Si non potes aliquid efficere ſuadendo, gratia contendes, & rogando, ſi quid tua cauſſa, & aliorum velit, vt illis ſe moleſtijs laxet, eaque faciat quæ & ſe, & prudentia, & fortitudine animi ſui digna iudicarit. Si quid profeceris, quantũ voluptatis aſſecuturus ſis, oſtẽdes: ſin nihil, officio tamẽ beneuolentiſſi- *Cic. 14. lib. 5.*

lentíſsimi, atq; amiciſsimi functum te fuiſſe ſignificabis.

Excuſant ſe quandoq; qui conſolantur, cur longiores non ſint, ne vel diffidere prudentię illius videantur, vel illum obtundere ſi minus eo ſtudio delectaretur.

In fine vero epiſtolæ noſtram illi operam ſtudiumq; pro viribus noſtris pollicebimur.

SCHOLIA.

Conſolatoria, pulcherrima prorſus & ſuauiſsima epiſtola.

Nullum eſt profecto epiſtolarum genus, in quo libentius verſari deceat hominem Chriſtianum, quã conſolatorium. Nobis enim proprium eſt, ſicut gaudere cum gaudentibus, ita cum flentibus flere, aliorumq; vulnera & plagas oratione noſtra ſanare. Qua quidem nõ eſt aliud medicamentum præſentius atq; ſalutarius. pulchre verſiculus græcus.

Ψυχῆς νοσούσης, ἐστὶ φάρμακον λόγος.

Languentis animi pharmacum eſt oratio.

Cic. 3. Tuſcul.

Et quoniam vita hæc quam viuimus, miſeriarũ plena, grauiſsimorumq; incommodorum referta eſt, nec quiſquã mortalis reperitur, quẽ non attingat dolor, vt ſcripſit Euripides, nullum officium æque frequenter eſt opus, magnumq; beneficium exiſtimari debet, alienum luctum vel tollere, vel mitigare. Por

ro idem hoc genus vt pulcherrimum & frequentiſ-
ſimum, ſic etiam propter multos è Philoſophia locos,
propter exemplorum copiam, quæ in conſolando ad
hibetur grauiſsimum, & non cuiuſuis præterea, ſed
auctoritate quadam & ſapientia præditi hominis
eſt. Cæterum vt ingenue dicam quod ſentio, cum M.
Tullius in omnibus epiſtolarum formis vt qui ma-
xime excelluerit, in ſcribendis conſolatorijs valet
longe plurimum, ex quibus (quoniam multæ ſunt) *Laus M. Tullij*
nõ pauca eademq́ optima præcepta colligi poterunt,
& quanta in illo homine ſuauitas, quam eximius
quamq́ pius alienorum dolorum ſenſus fuerit, per-
ſpicue ac manifeſto cognoſci. Quo autem grauibus
ſententijs, & ad conſolationem aptis abundare poſ-
ſimus, legendi ſunt præter M. Tullij ſcripta & præ-
ſertim Tuſculanas diſputationes Plutarchus, Sene-
ca Franciſcus Petrarcha de remedijs vtriuſq́ fortu-
næ, item exemplorum & apophthegmatum libelli.

a Non ſolum eorum qui ſuperſunt, ſed eorum
etiam qui iam olim è vita exiuerunt ſimiles caſus re
ſpicere, ſolatium affert. Atq́ ideo M. Tullius ſe in
conſolatione (quem librum ſcripſit, vt ſe ipſum de
Tulliolæ obitu conſolaretur) clariſsimorum homi-
num ſuæ ciuitatis grauiſsimos exitus collegiſſe di-
cit. Et ep. 6. lib. 6. Commemorarem non ſolum ve-
terum, ſed horum etiam recentium vel ducum vel
comitum tuorum grauiſsimos caſus. Etiam exter-
nos multos claros viros nominarem. Leuat enim do-

lorem

lorem communis quasi legis & humanitatis recordatio. Plutarchus in consolat. ad Apollonium scribit: Antimachum poëtam, mortua sibi vxore Lyda, quā vehemēter amabat, scripsisse elegiam quandā ad cōsolandum & leniendum mœrorem suū, in qua calamitates heroicas colligebat, malis alienis suū casum ac dolorē leuare & minuere studens. Achilles Iliad. φ. Lycaonem vnū ex filijs Priami mortē deprecantē, preciumq́; salutis & vitæ promittentē, hortatur, vt æquo animo ferat mortem; cæsum Patroclū, illo multo meliorem; se quoq; eximia corporis statura, et pulchritudine præditū, strenui patris & Thetidis filium, vel mane vel meridie, vel vesperi moriturū.

Artificiū Horatij in consolando.

Horatius od. 24. l. 1. P. Virg. ob Quinctilij mortē artificiose consolatur. Primū enim facit Musam assentiri & indulgere lugenti, eiusq́; lacrymas approbare, ne ad vulnus recēs illidat manus. Vt enim crudū adhuc vulnus medentium manus reformidat, deinde patitur atq; vltro requirit: sic recens animi dolor, consolationes reijcit ac refugit, mox desiderat, & vehemēter admotis acquiescit. Plin. ep. 16. li. 5. Tum posteaquā sese Virg. luctus quodāmodo sociam adiunxit, aggreditur paulo maiore fiducia ad eius ægritudinem minuendam commemoratione conditionis humanæ: quæ est, vt semel omnibus moriendum sit. Postremo ostendit nihil eum lugendo assecuturū, neq́; vlla vnquam ratione assecuturum, vt Quinctilius reuiuiscat. Hanc Oden Carolus Sigonius

nius emēdat.l.2.diserte explicauit aduersus Robortellum. [b] Deniq; noli te obliuisci Cic.esse, et eum qui alijs consueueris præcipere & dare consilium, & quæ sequūtur. Seruius Sulpic.ep.5 l.4. Non ero longior, tantū ex 3. Tuscul. de cōsolantium officijs pauca subijciam, vt ad ea scriptionē nostram accōmodemus.

Hæc igitur officia sunt consolātium, tollere ægritudinem funditus, aut sedare, aut detrahere quam plurimum, aut supprimere nec pati manare longius, aut ad aliam traducere. Sunt, qui vnū officium consolantis putent, malum illud omnino non esse, vt Cleanthi placet. sunt, qui non magnum malū, vt Peripatetici. sunt, qui abducunt à malis ad bona, vt Epicurus. Sunt, qui satis putant ostendere, nihil inopinati accidisse, nihil mali. Chrysippus autem caput esse censet in consolando, detrahere illam opinionem mœrenti, si se officio fungi putet iusto, atq; debito. Sunt etiam, qui hæc omnia genera consolandi colligunt: alius enim alio modo mouetur, vt fere nos omnia in Consolationem vnam coniecimus: erat enim in tumore animus, & omnis in eo tentabatur curatio. Officia consolantium.

Est epist.lib.4. numero quinta, qua quidem tota Seruius Sulpicius orator & iurecos. & à Quinctiliano lib. 10. & à Cicerone Philipp. 9. postquam in legatione decessit, egregie collaudatus, ipsum Ciceronem propter filiæ Tulliolæ obitum (obijt autem pariens) in luctu & mœrore acerbissimo iacentem consolatur, tanta auctoritate; prudentia, humanitate

Epistola Seruij Sulpicij commendatur.

nitate & orationis suauitate, vt nihil in hoc epistolarum genere putem extare perfectius. Hanc nos iudicio quodã nostro plurimi semper fecimus, & cum frequentissime legimus, tum etiam memoriæ commendauimus, illaq́ pronuntiada non vulgarem sæpenumero ex tam dulci atq; docta scriptione iucunditatem percepimus. Quæ sane M. Tullio, vt ipse testatus est ep. sequente, qua Sulpicio respondit, dolorem illum vix consolabilem propemodum omnino detraxit, & vulnus longe grauissimum etsi non perfectissime, tamen perfecte sanauit. Eam igitur epist. adolescentes legant, relegant, ediscant: ac si quando aliquem de morte parentis, fratris, sororis, filiorũ, consanguinei, affinis aut cognati alicuius consolabuntur, ne omittant iisdem argumentis vti, quibus intelligunt esse vsum Sulpicium: quanquam ex nostra item, hoc est, Christianorum disciplina, & ex libris sanctorum virorum non mediocris, immo vero maior atq; adeo firmior ad consolandum materia sumi potest. Sed fit, nescio quo modo, vt illa hominum antiquorum, à nostris institutis remotorum doctrina & exempla nos Christianos vehementius permoueant, & ad quiduis persuadendum maius quoddam momentum habeant. Verum ego in præsens, quid fieri soleat, non etiam quid magis aut deceat fieri, aut oporteat indicaui. Inprimis autem nitantur adolescentes in hac forma literarum omnem verborum lenitatem adhibere, vt consolatio grauibus

bus instructa sentētijs, & mollibus exornata verbis, ad miserorum afflictorumq; aures magna cum suauitate affluat, & in intimos eorum sensus placidissime illabatur.

De responsione ad Consolatoriam. Cap. XLII.

CONsolanti respondebis, primū, gratam tibi fuisse consolationē, si minus iucundam: nec dubium tibi fuisse, quin tali ex tuis incommodis mœrore afficeretur amicus: deinde quem fructum ex illius literis cœperis, quod illis lectis aliquantulum acquieueris, cum oratio prudens ac beneuola, auctoritas, exempla, consilia, cæteręq; res eleganter copioseq; collectę, multam adhibuerint medicinam dolori: sed illud maiorem, quod firmitudinem, grauitatemq; animi illius perspexeris.

Cic. 6. lib. 4. 13. & 15. lib. 5. ad Att. 7. lib. 11.

P. Man. 36. lib. 4.

Postremo vbi caussas tui doloris & fletus exposueris, desiderare te amici præsentiam ostendes, quam multum mœrori tuo (quando literæ tantum

 value-

valuerunt) mederi posse significabis.

Grati tamen viri est gratias agere, & vicissim officium suũ amico & semper, & ad omnia promptum paratumque ostendere. Precaberis tamen Deũ ipsum, vt nunquam illi tua vti opera contingat, nisi in rebus cum secundis, tum lætis.

SCHOLIA.

Si consolatio nihil nobis profuerit, laudabimus animum, studium & ingenium consolatoris: quod tanquam bonus ac peritus medicus nullum remedij genus non admouerit. Sed malum vincere omnem artem. Ouid. Eleg. 4. lib. 1. de Ponto.

Nec tamen exhibuit tantas facundia vires,
Vt mea sint dictis pectora sana tuis.

ep. 16. lib. 10. *Et Cic. ad Att. sed nescio quomodo imbecillior est medicina quam morbus. Vide. 3. Tuscul.*

De [a]Officiosa. Cap. XLIII.

φιλική. Plin. 4. 19. li. 1. 32. li. 6. 16. lib. 7.

OFficiosa epistola, qua operã vel pollicendo, vel præstando nostram, aut prestitam honeste cõmemorando, vel gratiam inimus apud aliquem, vel initã, aut fouemus, aut augemus.

gemus, iure generi consolatorio subijcitur: quia cum alibi, tum in quaque consolatoria epist. (vt dictum est) operam nostram studiumque polliceri solemus. Commemoratis enim prius, si placebit, amicitiæ nostræ caussis, nil tam promptum & paratum esse scribemus, quam omnem nostram operam, curã, diligentiam, auctoritatem, gratiam, & facultates ad omnia, quæ ad amici voluntatem, cõmodum, et dignitatẽ pertinere cognoscemus. Ideo rogabimus, vt nostra quantulacunque sit opera, alijsque rebus & ipse, & sui in omnibus vtãtur negotijs, publicis, priuatis, forensibus, & domesticis, cũ suis, tum amicorum, ac aliorũ omnium, quoniam hoc nobis gratius atque optatius fieri nihil posit.

P, Man. 23. lib. 2. in fine.

Polit. 9. lib. 1. Cic. 8. 11. li. 5. P. Man. 38. lib. 4.

Addemus etiam (si ad rem facere videbitur) nos semper desiderasse tempus dari, quo & ipse, & alij cognoscerent, quanti, à nobis fiat: vel doluisse, nunquam datam nobis fuisse occasionem præstandi officij iam diu debiti: nunc autem quando accidit, nihil

Cic. 10. lib. 3. fere in princ.

Cic. 1. lib. 3.

nos prætermittere ſine nefario ſcelere poſſe.

Si quid prætermiſſum fuerit, & crebritate, & magnitudine officiorum nos reſarturos pollicebimur. Si quid autem præſtitimus, non minus breuiter quam modeſte commemorabimus, quantum extiterit ſtudium noſtrum dignitatis amici vel tuendæ, vel augendæ: ſeu potius non dubitare nos ſcribemus (quod modeſtius & laudabilius habetur) quin vel ſui vel alij per ſcripſerint, cum nec mediocre nec obſcurum, nec eiuſmodi fuerit, quod ſilentio poſsit præteriri, breuiterq́ rem ipſam etiam nos attingere poterimus. Nihil pręterea nos prętermiſſuros pollicebimur, quod ad vtilitatem, honoremq́ eius ſpectauerit. Omnia igitur dicemus & poſtulet â nobis & expectet: cum officijs noſtris amici cogitationes ſuperaturi ſimus.

Cic. 1. li. 8. 17. li. 5. 29. l. 10. Plin. 4. lib. 2.

Cic. 10. lib. 3. non longe à principio.

SCHOLIA.

a Officioſam epiſtolam vulgo appellant eam, in qua operam noſtram ſtudiumq́ amico pollicemur.

Sed

Sed vocem multo latius patentem nimis arctant, cũ ad hanc significationem restringunt, magnamq; epistolis Consolatorijs, Gratulatorijs, Monitorijs, alijsq; nonnullis iniuriam faciunt: quippe qui eas quoq; hac appellatione, quam tamen non minus merentur, non dignantur. Immo vero Officiosæ verius hæ dici poßint: quamuis qui aliquem consolatur, qui alicui gratulatur, qui aliquem monet, re ipsa officio amici fungatur: at qui aliquid pollicetur, verbis duntaxat officium amici præstet. possunt ergo rectius fortaßis pollicitatoriæ nominari.

De responsione ad Officiosam. Cap. XLIIII.

AD officiosam epistolam omnia responderi poterunt, quæ supra in gratiarum actione conuenire diximus. Non minus enim officiosa, & humanitatis plena debet esse responsio, quam fuerit epistola, ad quam respondetur. Et si minime noua tibi fuerunt, quæ præstitit amicus, grata tamen, & iucũda fuisse declarabis. Cum ea sit amici voluntas, humanitas & beneuolentia erga te, libenter talem te amplecti animum.

Cic. 15.19.li. 5.32.lib.7.

P. Man. 3.lib. 1.13.16.26. lib.2.14.li.3. Plin. 1.lib.4. 14.lib.7.7. lib.8.

Polliceberis etiam operam tuam, certandumque esse officijs dices, quibus æquo animo vel vincas illum, vel vincaris ab illo. Tuam omnẽ spem significabis in illo vno, vel in illo maxime post Deũ ipsum, à quo primo bona omnia emanant, positam esse: tantam humanitatem & beneuolentiam, tot tantaque officia, nullam vnquam inobscuraturam obliuionem.

De Gratulatoria. Cap. XLV.

Συγχαρτικὴ.
Cic. 11. 12. *li.* 3. 8. *lib.* 15.
Plin. 13. 23. *lib.* 4. 12. 15. *lib.* 5. 26. *li.* 6.
P. Man, 1. 2. 8. *lib.* 1. 9. 10. *lib.* 2. 20. 29. *lib* 3. 29. 30. 45. *lib.* 4.

GRatulatio, quæ aut vtilitati & commodo debetur, quæ magna quidem est, aut honori ac dignitati, quæ maior habetur, aut virtuti & pietati, quæ omnium est maxima, fit, cum alicui gratularis de rebus, vel quę illi prospere euenerunt, vel quæ alijs, de quibus quidem maximam illum arbitraris percipere lætitiam.

Si de rebus, quæ ad hominem pertinent, illud obseruare debes, vt incredibili te ex illa dignitate, vtilitate téue

illi nec petenti, nec ambienti delata, nec expectanti quidem, affici lætitia di cas perinde, ac ex rebus tuis, & ipsius caussa, & tuo quoq; nomine, & quod vides ea egregijs, & doctis viris tribui ornamenta & commoda, quæ debentur. Addes etiam, non dubium tibi fuisse, quin illam assecuturus esset rem, cum multo etiam maiora illius merita postulent: orabisq; Deum, vt honorem illum, aut facultates fortunet.

Inseres tamen nonnunquam hortationem ipsam, etiam si minus necessarium esse intellexeris, vt & tuum testificeris in illum amorem, & magis hominem ad virtutes, & res præclarissime gerendas inflammes. *Cic.5.7.9.lib. 2. 14. lib. 9. Plin. 23.li.7.*

Si de alijs, vt puta de fratre erit gratulatio, mirum in modum te gaudere scribes, illum cæpisse fructum vel pietatis in suos, vel animi in Rempub. vel rerum bene & prudenter gestarum cum assecutus frater fuerit illam aut dignitatem aut vtilitatem. Idq; te facere significabis, cum fratris caus- *Cic.7.9.li. 15.*

ſa, tum quod iudicas amicum omnibus ſecūdiſsimis rebus digniſsimum.

Ad Att. 1. lib. 4. Plin. 19. lib. 4. 23. lib. 9.

Quo quidem genere vtimur, cum vel nobis ipſi gratulamur, vel aliјs de aliqua re noſtra.

Vbi cauendum eſſe arbitror, ne adeo inaniter, & effuſe animus noſter exultet, vt illa lætitia, vel geſtiens, vel nimia dici poſsit. Rerum autem ordo poſtulat, vt cum miſta eſt epiſtola, gratulatio ſit in principio: id quod & Cicero oſtendit, & filius.

Cic. 9. li. 2. 12. lib. 3. 21. lib. 16. vlt. med.

SCHOLIA.

Paul. Manut. in epiſt. 7. lib. 1. qua Cicero Curioni de Tribunatu plebis gratulatur. Tria ſeruat, inquit, in officio gratulationis. Primum gratulatur tantam dignitatem: deinde bene precatur: tum hortatur ad magiſtratum cum laude gerendum. Gratulatorijs opponuntur Deploratoriæ ſeu Lamentatoriæ tum præſertim, quum non noſtras, ſed amici calamitates & miſerias lugemus vt contra in gratulatorijs, noſtram ob illam quæ eius honori vel fortunis facta fuerit acceſsionem, lætitiam teſtamur. Verum quādo noſtras ipſi calamitates deploramus quum caſus noſtros lamentamur, & noſtrum dolorem

rem aut etiam nostros gemitus & lacrymas in sinum amici velut effundimus, Gratulatorijs velut ex adverso non respondent. De gratulatione vide Brandol. cap. 18. lib. 2.

De responsione ad Gratulatoriam. Cap. XLVI.

AD gratulatoriam rescribes gratam tibi fuisse gratulationem: amici enim cum humanitatem, tum beneuolentiam agnoscis, cum minime dubium vllo tibi vnquam tempore fuerit, quin omni ille afficeretur lætitia de omnibus tuis, tum commodis, tum honoribus: vt & semper cæpisti voluptatem, capturusuè ex omnibus rebus esses, quas ad illius vel dignitatem, vel vtilitatem pertinere cognosti cognoscereuè. *Cic. 11. 14. li. 4. 21. lib. 16. ad Att. lib. 9. in ep. Cæs. ad Oppium. Plin. 8. lib. 4.*

Optare te, & sperare monstrabis, rem non modo prospere euenturam, sed etiam maximæ tibi voluptati fore: cõfidere etiam, multũ te in ea amici humanitatem, & prudẽtiam adiuturam. Probatissimam tibi esse significabis ra- *Cic. 15. lib. 2.*

tionem, quod ab optimo ſit animo. Demum gratias agere, tuæ eſſe partes videntur.

De Epiſtola[a] qua gratias agimus. Cap. XLVII.

a εὐχαρισ-
τική.

Cic. 15. lib. 2.
11. lib. 10.
Plin. 19. li. 4.
2. lib. 5. 3. 16.
28. lib. 6.
P. Man. 15. li.
3. 37. lib. 4.

IN gratiarum vero actione, quæ primũ locum in epiſt. ſi pluribus de rebus ſcribendum eſt, deſiderare videtur, accurate, & prudenter de rebus noſtris actũ eſſe ab amico oſtẽdemus: confectam rem eſſe, ſiue conficiendam nos ſperare ex noſtra ſententia: reſq; ipſas ſi videbitur, quæ ab illo factæ ſunt, narrabimus, omnes conferentes non in merita noſtra, ſed in illius cum humanitatem, tum liberalitatem, & diligentiam: id quod faciemus etiam, cũ de rebus nobis donatis erit dicendum,

P. Man. 26 l. 4.
Polit. 4. lib. 8.

pollicebimurque non mediocrem nos adhibituros curã, vt viros nos dignos amici laudibus, & fauoribus, ac muneribus præſtemus.

Verum ſi res fortefortuna minus ex voto ſucceſſerint, per amicũ non ſte-

tiſſe

tisse fatebimur, quo minus eas assecuti fuerimus: omnia enim, quæ ab amico proficiscuntur, grata nobis esse & solent, & debent.

Demum vel aperte meritas agemus gratias, & si dabitur, relaturos promittemus: sin minus, Deum ipsum orabimus, vt cumulate pro nobis responde-at: vel per circuitionem id faciemus, gratiarũ relatione potius, quam actione opus esse scribentes.

Dicimus tamen quandoq; [b] non esse amici agere gratias, vel pluribus id agere, ne blandus esse videatur: cũ iam pridem id ex nostra necessitudine, quę ad summam beneuolentiam peruenit, sublatum esse deberet.

Cic.24.li.10. 13.lib.11. Ad Brut.6. P.Man.11. lib.4.

SCHOLIA.

[a] Ita maluimus quam gratiarum actorias. [b] Num inter arctissimo amicitiæ vinculo consociatos, gratiarum actio locum habere debeat, an vero prætermitti sine culpa, & offensione possit, fortasse dubitetur. Brut. quidẽ et Planc⁹ ita existimarũt. Ille enim in vna sic ait. Iam non ago tibi gratias. Cui enim re vix referre possum, huic verbis non patitur res satisfieri. In altera sic. Noli expectare dum tibi gratias agam, Iam pridẽ hoc ex nostra necessitudine, quæ ad summa

ſummam beneuolentiam peruenit, ſublatum eſſe debet. Hic autem, Plancus inquam, in hunc modum exorditur ſuam, Facere non poſſum, quin in ſingulas res meritaq́ tua tibi gratias agam. Sed me hercule facio cum pudore. neq́ enim talis neceßitudo, quantam tu mihi tecum eſſe voluiſti, deſiderare videtur gratiarum actionem, neq́ ego lubenter pro maximis tuis beneficijs tam vili munere defungor orationis: & malo præſens obſeruantia, indulgentia, aßiduitate memorem me tibi probare. Hoc igitur illi ſentiunt. At M. Tull. de gratiarum actione ep. 19. libr. 10. his verbis ſcripſit. Quanquam gratiarum actionem à te non deſiderabam, quum te re ipſa atq́ animo ſcirem eſſe gratißimũ, tamen (fatendum eſt enim) fuit ea mihi periucunda. Sic enim vidi, quaſi ea quæ oculis cernuntur, me à te amari. Dices, quid antea? ſed nunquam illuſtrius. Patet, Ciceronem officium hoc nequaquam improbare vel in ſumma amicitia. Rationes porro quas tum Brutus, tum Plancus afferunt, non videntur contemnendæ, quoniam inter quos perfecta multis officijs conſtituta eſt neceßitudo, in hos iam cadit illud Ariſtoteleum, vna anima in duobus corporibus. Si ergo mihi gratias non ago pro meis in me ipſum meritis, cur alteri mihi agam, qui non ſolum pars & dimidium animæ meæ, vt loquuntur poëtæ, ſed vt Philoſophus dixit, tota eſt mihi anima? Nihilominus, etiamſi talis amicitia reperiatur, vt reperta eſt

inter

inter Dauidem & Ionatham, Pythiam & Damonem Pythagoreos, Pyladem & Orestem, & praterea ex omni antiquitate inter paucißimos, puto gratias agi amico posse, si minus debent: quandoquidē ea interdum ob amorem alteri præstamus, quæ nobis ipsis nunquam præstaremus, atq; ita alium quā nos & pluris facere, & magis diligere videmur. quod autem amicus dicitur alter ego, exprimitur vis amoris & magnitudo illius concordiæ, non enim est verum simpliciter. 1. Reg. 18. Cic. 3. off. In Lælio 1. de finib.

Beneficium quod accepimus, erit modis omnibus amplificandum. Nam sæpe gratiam retulisse videtur, qui bene gratias agit. Amplificatur autem his ferme rationibus: si vltro collatū est, si incunctanter si cito. Bis enim dat, qui cito dat. Si in tempore, si vberius quā alter ausus sit petere, si nihil promerito, si ab eo cui libenter debemus, hoc est ab eo quē amamus ex animo. Lege cap. 17. lib. 2. Brandolin. ὠκεῖαι χάριτες γλυκερώτεραι.

De responsione ad epistolam Gratiarum actricem. Cap. XLVIII.

AGEnti gratias respondebimus, non mirari nos, sed vehementer gaudere, grata illi esse officia nostra, cum hominem omnium gratissimum

mum cõgnouerimus, idq; nunquã nos
Cic. 18. l. 2. 11. lib. 5. 19. 20. lib. 10. destitisse prædicare, dolere quod plura pro amico facere nobis nõ licuerit.

Recipiemus tamẽ, illius dignitatem, in dies maiori nobis curæ futuram, licet adeo eam amplificatã esse sciamus virtutibus suis, vt vel nihil, vel parum addi posse videatur.

Præterea tantam inter amicos necessitudinem, nullam desiderare gratiarum actionem scribemus: nec eam nos vnquã expectasse. Immo si mutua fuerunt beneficia, (vt maiorem captemus beneuolentiam) illum non gratiã modo nobis habuisse, verum etiam cumulatissime retulisse dicemus.

Modesti præterea hominis est, præsertim si ad magnos scribatur viros, nõ modo nullam admittere gratiarum actionem: verum illud etiam addere, beneficium se accepisse, non dedisse, cum plus vel cõmodi, vel suauitatis ex illa re in eximium illum virum collocata adeptus ipse fuerit, quam magnus ille vir.

De

De epiſtola Imperante, & Prohibente. Cap. XLIX.

IN hís prima eſt imperandi ratio, quæ ſuperiorum, aut magiſtratuū, aut poteſtatem aliquam gerentiū eſt. Sed cum illi per alios vt plurimum ſcribant, vtriſque præcepta tradenda ſunt.

Προσακτική. Απαγορευτική.

Omnibus igitur, qui per literas aliquid imperaturi aut mandaturi ſunt, ſiue ſuo, ſiue alieno nomine id agant, tria potiſsimum conſideranda ſunt: quibus imperetur, quid imperēt, quomodo imperent. Nam & ſi omnibus benigne manſueteꝗ́ imperandum eſt (omnes enim humanitati quā ſuperbiæ libentius obtemperant) ingenuis tamen, & generoſis animis manſuetius & conſideratius imperandum eſt: ſponte enim quæ agenda ſunt, agunt.

Imperantibus, tria conſideranda.

Retinenda tamen eſt ſemper maieſtas imperantis, ne, cui pręeſt, ſubeſſe: aut quem cogere poteſt, rogare videatur.

In

In hoc genere aut nullo, aut quam breuiſsimo exordio vtendum eſt. Id, ſi res poſtulabit, ad ea quę facienda ſunt, lectorũ animos præparabit, rationemque, qua ipſe ad imperandum ductus ſit, aut vtilitatem exponet. nonnunquam rei magnitudinem, difficultatem, honeſtatem, laudem præmiumque proponet. Id ſi opus non erit, â narratione incipiet eius rei, de qua imperaturus eſt.

Rem autem, quam imperabit, primum fieri poſſe oſtendat neceſſe eſt: deinde etiam facilem, aut certe nõ difficilem: honeſtam præterea & vtilem, non ei qui imperat ſolum, ſed ei quoque qui imperium ſuſtinet: & ſi poterit, etiam neceſſariam.

Modum quoque rei gerendæ, facultatemque prębeat. Poſtremo, quid ex ea re emolumenti vel laudis ſit vterque cõſecuturus, oſtendat. Mandandi eadem pene quæ imperãdi ratio eſt: niſi quod qui mandat, rogare poteſt: qui imperat, ſi modo imperat, non poteſt. Pre-

Mandare & Imperare differunt.

cum

eum tamen loco adhortationes atq; incitationes ſuccedunt: quæ imperanti nunquam inutiles, ſæpe etiam neceſſariẹ ſunt. Præterea qui mandat, familiarius ac lenius: qui imperat, grauius ac ſeuerius agit.

Prohibendi quoq; ratio non ſane ab imperando multum diſcrepat. Quibus enim rationibus imperamus, iiſdē quoque prohibeamus neceſſe eſt. Sed prohibemus aſperius, & præmij loco pœnam, ignominiamq; proponimus. Plus tamen in omni re humanitas & æquitas, quam ius vllum aut ſeueritas valet. Sed de hoc toto genere hactenus. Vide Brandol. lib. 2. cap. 23.

De epiſtola[a] Dedicatoria ſeu Nuncupatoria. Cap. L.

GEnus vnum eſt epiſtolarū, quo vtimur, cum quacunq; tandem de materia librū vel à nobismet ipſis ſcriptum confectumq;, vel illuſtratum, vel emēdatum, vel commentarijs, Προσφωνητική. Dedicatoria quid.

N anno-

annotationibus, ſcholijs explicatum, vel noſtra ſolum opera typis impreſſum ad aliquem aliquoſue mittimus. Illi autem eiuſmodi ſint oportet, qui vno aliquo eximio ornamẽto, aut multis ſimul emineant, qui maximos in Rep. honores geſſerint, ſanguinis nobilitate clari, eruditione præſtantes, Barones, Comites, Principes, Reges, Imperatores, Epiſcopi, Cardinales, Pontifices. Vnde appellatio fluxit epiſtol. Namq; cũ Deo Diuiſq; dedicare quippiam proprie dicamur, iſti heroes prę reliquorum hominũ cætu dij quidam terreſtres ob maieſtatem poteſtatiſq; amplitudinẽ, virtutes, diuitias, & cætera tum animi, tum fortunæ bona videntur. Vox, nuncupatoria, inſcriptionem reſpicit: vt epiſtola nuncupatoria ſit, qua quis librum ſuũ cuipiam inſcribit, cum quo librum nominari, ſeu à quo librum nũcupari cupit. Confundũtur porro & pro eodem iſta duo vocabula, quando de Epiſtola ſermo eſt, vſurpantur. Dedicamus autem id cir-

Quibus dedicemus libros.

Cur Dedicatoria.

Cur Nuncupatoria.

circo lucubrationes noſtras magnis *Cauſſæ dedica-*
Principibus, & eorum eas nomine in- *tionis.*
ſignimus: primum quidem, vt ipſorum nobis beneuolentiam, gratiam amoremque conciliemus, conciliatum augeamus atque confirmemus. Tum, vt priuati homines eo meliorem de noſtris laboribus opinionem concipiant, quod eos ad tam illuſtres viros, ad ipſa capita & Rectores orbis terrarum miſſos conſpiciunt, quibus procul dubio nihil inelegans, indoctum, vulgare, abiectumque donatur. Hinc fit, vt libentius & cupidius tales libros euoluant, ac magis venerentur: videlicet, ne illorum quibus conſecrati ſunt auctoritatem paruipendere, & iudicium irridere videantur. Quemadmodum ergo fures citius à de dicatis atque ſacris, quam à profanis rebus manum abſtinent, ſic obtrectatores & inuidi linguas ſuas fere coercent ab illis doctorum vigilijs lacerandis, quas clariſsimis & potentiſsimis Principibus dicatas intuentur: alio-

rum libros, qui nullum illuſtre ſplendidumque nomen præſeferunt, negligunt ferme, & legere vix dignantur. Ita non auctoritas modo ſed patrocinium quoque & tutela libris comparatur. Olim ad eruditos homines & amicos potius ac neceſſarios, quam ad nobiles mittebantur libri. Sic Ariſtoteles Ethica ad Nicomachũ filium, & quoſdam de Rhetorica (non illos 3. qui feruntur hodie, ſed diuerſos ab illis) ad diſcipulum ſuũ Theodecten, [b] M. Tullius bonam ſuorum monumentorum partem ad. M. Brutum, T. Pompon. Atticum, Q. Fratrem, M. Filium, Iulius Cæſar, & M. Terentius Varro de latina lingua ſuos ad Ciceronem miſerunt. Tunc nomen illius ad quem liber mittebatur, cum titulo, & dedicatio cum ipſomet opere tanquam illius exordium coniungebatur, hoc modo. M. TERENTII VARRONIS DE LINGVA LATINA AD M. TVLLIVM CICERONEM LIBER QVARTVS. Item, M. TVLLII CICERONIS ad Q. Fratrem

Mos antiquus.

FRATREM DIALOGI III. DE ORATORE. Postea sic incipit. Cogitanti mihi sæpenumero, & memoria vetera repetenti, perbeati fuisse, Quincte frater, illi videri solent etc. & in off. Quanquam te Marce fili, annum iam audientem Cratippum. His temporibus more receptum est, vt dicatio separetur, & sit epistola in aditu operis collocata, habēs talem inscriptionem siue titulum. M. ANTONIVS MVRETVS S. D. SCIPIONI GONZAGAE MARCHIONI, ET S. R. I. PRINCIPI. Hoc ita fit iustas ob caussas. Etenim si operi copularetur, non possent ea disseri, quę in tali epistola disseruntur, esset quippe nimis longum sæpe, &, vt paulo post manifesto patebit, absurdum. Age iam, aliquot leges & præcepta in hoc genus demus, non illa quidem fixa & prorsus immutabilia, attamen satis congruentia satisq́ certa. *Mos recentior.*

Genus dicendi siue character qualis nam hîc deceat, disci potuit ex cap. 12. grauis scilicet, copiosus ac summus, si *Præceptiones huius generis.*

ſumma fuerit perſonarum auctoritas, exiſtimatio, amplitudo, dignitas. Si mediocris, poterit recte medius temperatusque character adhiberi. Quando infimus: nunquam, aut perraro, quoniam ad plebeios & infimos, niſi forte ad amicos, non ſolemus mittere libros.

Exordimur ab aliqua re pulchra, illuſtri, præclara, delectabili, ſeu à loco communi, paulatimque ad operis argumentum inſtitutumq; delabimur, quomodo facere plærumq; conſueuit Paul. Manut. in ſuis quas appellauit præfationibus. Interdum à noſtris rebus, occupationibus, negotijs, fortuna, vitæ ſtatu atq; euentis principium ducimus.

Deinde occaſionem & cauſſas explicamus, quibus incitati fuerimus ad librum conſcribendum, ne quid inconſulto aggreſſi putemur. Hic de vtilitatibus ex ea lectione illoq; ſtudio capiendis licebit diſputare: hæc ſiquidem vna ſolet exiſtere ratio, qua docti viri ad libros diuulgandos impellũtur.

Tertio

Tertio dicendum est aliquid de modo & œconomia quam tenuerimus in opere nostro. Hoc & superius præceptum in tanta librorũ eadem, aut quasi eadem de re scriptorũ multitudine ob seruatu sunt vehementer necessaria, vt si minus res nouas, noua tamen commodioreq́ꝫ via & methodo, diligẽtius, & apertiꝰ (quæ singula per se magna sunt) tradere nos velle intelligatur.

Post hæc Patroni nostri laudabiles actiones, egregia facinora insigniter prædicabimur, ac, si videbitur, ad earundem laudum ampliorem gloriam cohortabimur: qua in parte nihil vetabit esse longiores. Quamuis necesse non fuerit, rhetoricum quendam in laudando ordinem persequi: verum, si multa sunt, pręcipua deligenda, & verbis exquisitis in cælum extollenda erunt.

Postremo munus nosq́ꝫ ipsos offeremus, extenuantes nostrum ingenium, doctrinam cum libro deprimentes, at paucis, suauiter ac moderate. Rogabi-

mus item, vt nos in suorũ numero habere pergat, plura, maiora, elaboratiora ipsiusq́; splendore digniora pollicebimur. Verumenimuero, hic ordo præceptionum tam anxie custodiendus non est: nam hîc quoq́;, vt alibi, libera est episto. Ego quæ de hoc genere sentiebam, strictim exposui.

SCHOLIA.

a Iam semel docuisse memini, non ita sollicite
Cap. 17. *hic latinitatem quærere oportere, indulgendum esse aliquid consuetudini inueteratæ Grammaticorum, dum res modo subiecta perfecte satis declaretur. Nã si perpetuo circuitiones ac periphrases in epistolarum formis nominandis adhibere velimus, vt dicamus, epistola qua petimus, qua nostrum alicui studium pollicemur &c. quis id absq́; fastidio diu ferat? Etsi vero, vt superius ostendimus, participia commode vsurpari possunt, tamen id in omnibus locum non habet, neq́; enim vocabis hanc formam, epistolam nuncupantem aut dedicãtem Epistola nihil dedicat, sed auctor epistolæ per epistolã id agit. Et nunc quidem ita sentimus, vt explicauimus, aliâs fortasse aliud de nonnullis in hoc libro traditis sentiemus. Nemo plane de hoc genere verbum fecit, cum in vsu sit maxime, quoniam librorum scribendorum, quibus præponitur,*

nitur, nullus nec est, nec erit vnquã finis, Scribimus enim indocti doctiq; poemata paßim, & insanabile scribendi cacoëthes permultos tenet. Cæterum, vt eo innumerabiles vtuntur, sic à paucis omnino cernas illud pro eo ac debet, ornate grauiterq; scribi. Quamobrem, tametsi ipsum reijcere ad secundam editionem poteram, præsertim cum index capitum iam esset typis descriptus, nihilominus gratum fore compluribus nostrum in eo pertractando studium arbitratus sum, nouitas enim delectat. Hic mihi obijciat aliquis, an, siquis eo doctrinæ processerit, vt librum poßit conficere, sine magistro præfationẽ seu dedicatoriam scribere nequibit? Cui vt respondeam, quæro primum, an hoc genus, vt reliqua, limitibus epistolarum includatur. Si includitur, nos omittere non debuimus, (vulgatũ præsertim & illustre cũ sit) qui de ratione scribendi epistolas nos docturos esse promisimus. Deinde, an putet hanc artem doceri adolescentes, vt quamdiu adolescentes, & indocti sunt, ea vtantur? nonne vt Grammatica, vt Rhetorica, vt aliæ disciplinæ, sic etiam hæc minime contemnenda facultas ad vsum totius ætatis & vitæ nostræ consequentis perdiscitur? Præterea num tibi videtur idem esse librum scribere & epistolam? sunt, qui illud possunt, hoc non poßiunt, nõ, inquam, possunt bonã, elegantẽ, artificiosam (quale artificiũ illa postulat) scribere.b Ad Brut. scripsit lib. de natura Deor. de finib. bonor. & malor. Tuscul. disputat. Paradoxa, Orat.

Horat.
Iuuenal.
Obiectio.

perf. epist. aliquot, ad Q. F. lib. de Orat. & epistol. libros 3. ad Atticum libellos de Senectute & Amicitia, et epistolarum lib. 16. ad M. Filium 3. de Off. ad quē plura scripturus fuit, ut ipsemet in exordio affirmauit. Horum libror. præfationes legat, qui grauiter, polite & sapienter præfari concupiscit, adhæc præfat. siue dedicatorias Lambini, Victorij, Mureti, Manutij & similiū, si modo sunt aliqui horum similes. Habebat Cicero volumen procemiorum, vt est in quadā ad Att. ep. ex eo eligebat, si quod σύγγραμμα institueret. Vnde cōfirmatur id quod docuimus, commune quippiam & θετικὸν in dedicatorijs tractandum esse principio, alioqui nec M. Tullius volumen procemiorum, nec Demosthenes volumen exordiorum paratum habere potuisset. c Maior semper hîc personarum quam argumenti ratio ducenda est, vt etiam humilem librum ob eius cui donatur seu inscribitur dignitatem, grauis deceat & ornata præfatio. Nec est mens nostra, totam in sublimi aut medio charactere scribendam, immo in illo mediocriter, & in hoc nonnulla magnifice dici poterunt: in vtroq; etiam quædā subtiliter & presse, permiscentur enim hæ 3. formæ orationis, vt Cicero quoq; in Orat. perf. admonuit. Sed cum dicimus orationem aliquam aut epistolarum hoc illoue genere constare, id quod est potius ac primarium spectamus.

Ep. 6. lib. 16. ad Att.

Quædam genera epistolarum merito præteriri Cap. LI.

Mul-

MVltas ſatis, vt ego quidem arbitror, epiſtolarum formas hac tenus explicando pertractauimus. Poteramus quidem plures fortaſſis in medium adducere: ſed mihi modus aliquis faciendus videbatur, præſertim cum alij ſcriptores longe pauciores attulerint, & nihil fere per epiſtolam ſcribi poſsit, quod iſtorum generũ terminis atq; ambitu non includatur alio tempore plura adijciemus, ſi iudicauerimus id expedire. Volo tamẽ hoc loco facti mei rationem exponere, cur Amatoriam & Diſputatoriam prætermiſerim. Principio, Amatoriam non intelligo illam, qua alicuius nobis amicitiam & amorem honeſtum conciliare ſtudemus: quæ epiſtola ex huius libri pręceptis vtcunque ſcribetur, ſed illam, quæ nihil plane habet grauitatis, cum puellæ connubium procus ambit, & vxorem ſibi poſcit, de qua Roterodamus, magnus nimirum & ingenioſus huiuſmodi nugarum artifex præcepta multa reliquit. Res non eſt turpis,

Amatoria epiſt.

turpis, nec ego id vnquam dixierim, ſed leuicula tamen, & quanquam non ab huius libri inſtituto, tamen à noſtris moribus vitæque inſtituto aliena, qui multo libentius doceremus homines conſecrare Deo pudicitiam, quam ſanctum licet & honorabile inire matrimonium. In quo ipſum ſane Apoſtolum auctorem ſequeremur.

Diſputatoria, eſt illa quidem inter doctos frequens, verum præcepta in eam certa ac ſtabilia dari non poſſunt: præterea diſputationes, niſi admodum faciles, epiſtola ex Demetrij ſententia omnino excluduntur. nunc, cum de miſta nonnihil dixerimus, nihil erit amplius, quod de epiſtolarum generibus requiratur.

Vide cap. 11.

De Compoſita ſeu Miſta. Cap. LII.

Μικτή.

MISTVM genus, de quo proxime dicendum eſt merito vltimum

mum tenet locum. Nam ſi epiſtola ijs conſtat generibus, quæ per ſe (quod modo vidimus) ſeparata ſunt, neceſſe erat de ſingulis primum ſeparatim dicere, mox de miſto. Quod proprie fit, cum diuerſis epiſtolarũ generibus contexta eſt epiſtola, licet[a] tam late pateat miſtũ hoc genus, vt nulla fere ſit epiſtola, quæ diuerſis non contexatur argumentis, & plura & diuerſa non contineat membra. Nulla enim, verbi cauſſa commendatitia epiſtola inuenitur, qua non omnibus laudibus illum ornes, quem commendas, qua non & honeſte petas, & ſuadeas, vt ea faciat, quæ ipſe rogas. Rurſus quem conſolari poteris, quin dolorem declares tuum? quin horteris itidem, vt mœrorem deponat, aliaque efficiat omnia, quæ res ipſa exigat, & ratio poſtulet conſolandi? Verum hæc membra vnius generis ſunt, non diuerſorum: nam his ablatis, epiſtola ſuum perderet nomen.

Cic. ep. 14. Lib. 2.

Cic. 10. Lib. 3.

Quo pacto ad miſtam epiſtolam reſcri-

scribatur, satis ex pręcedentibus generibus disci poterit.

SCHOLIA.

a *Quod tam late patere vult compositam epistolam Rochus, vt nulla propemodum epistola sit non mista, non placet nobis. Nec enim si in commendatia laudamus, si petimus, idcirco est mista, immo hæc illius generis natura est. Similiter cum in consolatoria nostrum dolorem declaramus, & alium ad mœrorem dimittendum cohortamur, non diuersas epistolarum formas confundimus ac permiscemus, sed vnius generis partibus diuersis quidem, verum ad vnum eundemque finem spectantibus vtimur. Ac si scriptor vnum præcipue finem sibi proposuerit, tum etiam mista epistola, hoc ęst, ex diuersis generibus conflata simplex dici poterit, & eius generis, ad quod ille finis pertinebit. Quod si diuersos fines pari ratione pariq́ modo propositos habuerit quispiam, illa epistola recte vocabitur mista. Mixtæ epistolæ exempla apud Ciceronem, maximeq́ in ijs quæ sunt ad Atticum, reperientur.*

Epistolam esse liberam, nec certis perpetuisque legibus adstringi. Cap. LIII.

Illud

ILLud tamen animaduertendum est,nos non omnia hæc,quæ dicta à nobis sunt, firmissimam legem esse velle, nec aliter fieri nunquã posse existimare, ne dum præcipere. Nam cum libera & soluta sit epistola, nulli fere addicta legi, ingeniosi adolescentes, vt magis generi, de quo agitur, conuenire videbitur, & addere, & mutare, & imminuere poterunt multa. Nos enim ea tantum posuimus,quæ apud Ciceronem potissimũ obseruata animaduertimus, vt adolescentibus viam,quæ ante hac aspera, latebrosa, ac difficilis per multos iam annos illos remorabatur, adeo facilem atq; latam efficeremus, vt quam citissime ad metam ipsam peruenire possent. Cætera omnia acuto ipsorum iuuenum iudicio relinquimus : nam ipsi per se, nullo vel docente, vel admonente,cum multa epistolarum genera similitudinem quandam inter se habere videantur, vt Commendatitium,Petitorium, Laudatorium,Hortatoriũ,fieri quandoq; posse

ſe videbunt, vt argumentũ illud, quod in vno genere poſitũ minus inueniẽt, in altero reperiãt. Quinimmo in quouis literarum genere, non modo proprium genus, ſed cætera fere omnia ſyluam tibi & materiam quandam facilẽ, ac variam ſuppeditare poterunt. Vbi enim totum commendatitium genus (exempli cauſſa) vno oculorum intuitu perſpexeris, ſexcentas pulcherrimas res inuenies, quas in rem tuam facere videbis: & ſæpe eandẽ ipſam quã quæris. Cum igitur in commendando verſaris vel laudando, aut rem, aut hominem, Laudatorio vti poteris, in exponendo Expoſitorio, in petẽdo Petitorio, in ſuadendo Hortatorio, in remunerando Officioſo. Ita tam multiplex, tamq; præclara tibi rerum omnium vbertas, varietas, & copia ſcribendi erit, vt ſæpius ipſe, qua potiſsimum vſurus in ſcribendo ſis, neſcias.

De modo & forma valedicendi.
Cap. LIIII.

Quem-

QVemadmodum ex congreſſu ac ſermone hominum ſalutatio, ſic etiam valedictio, ad epiſtolã translata fuit: & quomodo congredientem ante omnia, ita diſcedentem quoq; poſt omnia ſalutem precari, cuiuſdam humanitatis fauſtiq; ominis iudicabatur. Ergo illa quidem ordiri epiſtolam, hac eandem exaratam atq; confectam claudere conſueuimus, idq́; ſecunda perſona ſemper vtentes. Cæterum, vbi de ſalutatione locuti ſumus, ea ſolum afferenda putauimus, quæ apud veteres obſeruare nos memineramus: ſimiliter hoc loco facientes, eoſdem potiſsimum adoleſcentibus ad imitandum proponemus. Quod ſiquis innumerabiles & ineptas recentiorum formulas, quam hanc antiquorum ſuauem & decoram ſimplicitatem conſectari maluerit, conſectetur ſane, & ſuũ ſibi pulchrum ſine riuali retineat.

Itaq; M. Tullius, quique ad ipſum ſcribunt, hos fere modos adhibẽt. Vale. Iſtuc frequentiſsimum & tritiſsimũ

eſt. Plinius nunquam aliter. Da operam, vt valeas, Hoc mihi gratius facere nihil potes. Me velim, vt facis, diligas, valetudiniq́ꝫ tuæ & tranquillitati animi ſeruias. Vale. Tu me diliges, & valebis. Bene vale & me dilige. Fac valeas. Fac valeas, meque mutuo diligas. Hoc fere ſemper vti ſolet Plancus ad Cicero. ſcribens. Tamen, ſi quando ad chariſsimos & amiciſsimos ſcribit M. Tullius, certis quibuſdam ijſdemq́ꝫ ſuauiſsimis, & interdum longiuſculis formis vtitur in valedicendo, quas plæraſq́ꝫ omnes puerorum cauſſa collegimus.

Ad vxorem & liberos.

Valete mea deſideria, valete. Vale mea Terentia. Mea Terentia fidiſsima atq; optima vxor, & mea chariſsima Tulliola, & ſpes reliqua noſtra Cicero, valete. Vos mea ſuauiſsima & optatiſsima Terentia, & Tulliola, ſi nos amatis, curate vt valeatis. Cura vt valeas. Etiam atq; etiam vale. Tu velim tuam & Tulliæ valetudinem cures. Valetudinem tuam cura diligenter. Fac vt tuam & Tulliæ valetudinẽ cures. Maxime autem date operam vt valeatis, ſi nos vultis valere. Da operam vt valeas.

Ad Q. Fratrem

Reliquum eſt vt te orem, vt valetudini tuæ, ſi me & tuo

tuos omnes valere vis, diligentiſsime ſeruias. Cura mi frater, vt valeas. Fac mi frater, vt valeas. Vale mi optime & optatiſsime frater. Mi frater, vale. Te oro etiam atque etiã, mi frater, vt valeas, Cura mi ſuauiſsime & chariſsime frater, vt valeas. Vale mi ſuauiſsime & optime frater.

Ad T. Pomponium Atticum.

Cura vt valeas & nos ames, & tibi perſuadeas, te à me fraterne amari. Cura vt valeas. Fac valeas. Etiam atque etiam vale.

Ad Tironem.

Etiam atque etiam vale. Cura vt valeas etiam atque etiam Tiro noſter. Quantum me diligis, tantum fac, vt valeas, vel quantum te à me ſcis diligi. Ama nos & vale. Vale, ſalue. Fac plane vt valeas. Cura te etiam atq; etiam diligenter. Cura te diligenter. Cura te (ſi me amas) diligenter. Tu velim inprimus cures vt valeas. Cura mi Tiro vt valeas.

Tiro Libertus M. Tullii, nondum è morbo conualuerat.

Poſt vale, ſi quid eſt, quod maxime illum agere, aut quod infixũ illi in animo hærere cupiamus, ad quem ſcribimus, licebit hoc ipſum adiungere: id ex ſuperioribus exemplis animaduerti vtcunq; potuit. Valedictionem eſt quãdo iterat Cicero. Fac plane vt valeas: nos ad ſummum, Vale. Valetudinem

tuam cura diligenter. Vale. Et interpositis aliquot versibus, vt ep. 18. lib. 7. & ep. 3. lib. 14. vbi ter valedicit, & ad Tironem 13. lib. 15. Item ad Atticum ep. 19. lib. 5. vbi postea vale non repetitur. & ep. 4. lib. 11 nec non alibi.

Græci quibus verbis vtantur in valedicendo.

Gręci epistol. finiebant verbis ὑγίαινε seu ἔρρωσο· χαίρειν & εὐπράττειν non solum exordiis, sed clausulis quoq; epistolarum seruiebant. Aristotel. ad Philippũ τὰ δ' ἄλλα εὐπράττε. Quod ad cætera attinet, seu, de reliquo sis fælix. Et in alia. πράττε μὲν τὰ συμφέροντα, ἐπιτέλει δὲ τὰ δόξαντα. Age quæ conducunt, perfice quę videntur. Sic Cicero ad Tironem ep. 6. post Vale, subiecit, salue. Vale mi Tiro, vale, vale, & salue. & 9. ad eundẽ, Vale, salue. Plautus in Curcul. & Capt. Vale atq; salue. In quos locos Dionysius Lamb. ita scribit. Sic cõiungebant vtrumq; veteres discedẽtes ab ijs, quos numquam postea visuri essent, seu quos se nunquam iterum visuros sperabant. Cistell. Quando ita tibi lubet, vale atq; salue. Mercat. Lime supe-

Vale & salue.

ſuperum, inferumq́ſalue, ſimul autem vale. Quin ita ſaluere, & valere iubebant mortuos. Idem affirmat Ioſeph. Scaliger in Diras.

Virgil. 11. *Æneid.*

Salue æternum mihi maxime Palla
Æternumq́ vale. *addamus illud.*

Catul. epig. ad fratris tumul.

Accipe fraterno multum manantia fletu,
Atq́ in perpetuum frater aue atq́ vale.

Apud Saluſt. in Coniurat. Catilina ad Q. Catulum ſcribens, pro Vale, vſurpauit, Aueto.

SCHOLIA.

Ex omnibus bonis corporis, immo vero in hac vita nihil eſt melius, nihil optabilius bona valetudine. Quid diuitiæ, quid forma, quid cætera valent, ſi infirma, afflicta, deſperata eſt valetudo? In eam extat hymnus elegantiſsimus M. Antonij Flaminij, in quo præter alia canit hoc modo.

Diua funeſtis inimica morbis,
Cui vigor mentis ſolidumq́ robur,
Et ioci dulces, animiq́ ſemper
Gaudia cordi,
Quam colunt ſanctè iuuenes ſeneſq́,
Quam ſibi cuncti cupiunt ſuisq́,
Nam ſimul cætus hominum caducos
Alma reuiſis

Ilicet morbi fugiunt proterui,
Occidit febris truculenta, dirus
Occidit pallor, fera mors profundo
Exulat Orco.
O quies rerum, ô hominum benigna
Mater, ô cunctis veneranda, namq;
Quid potest gratum sine te quid vlli
Dulce videri?
Huc ades nostrum miserans laborem,
Siue te cæli tenet aula, siue
Insulis molles choreas beatis
Læta frequentas.
Huc ades tandem bona diua, & artus
Languidos aura refoue salubri,
Ne meam tabes edat immerentem
Atra iuuentam.

a Ouidius eleg. 14. lib. 5. Trist.
Accipe quo semper finitur epistola verbo,
Atq; meis distent vt tua fata, Vale.

b Tales ineptiæ sunt, Vale decus meum, corona capitis mei. Vale in Nestorios annos. Vale pancratice, aut si mauis, athletice, & multa similia.

Dicimur quoq; salutare eos quibus valedicimus, quod in puerorum gratiam obseruandum existimaui. Sic Ouid. 1. Trist. eleg. 3. de discessu suo conquerens,

Numi-

Numina vicinis habitantia sedibus inquam,
Iamq́, oculis nunquam templa videnda meis,
Dijq́, relinquendi quos vrbs habet alta Quirini,
Este salutati tempus in omne mihi.

Et Euryalus 9. Æneid. commendans matrem suam Ascanio,

Hanc ego nunc ignarã huius, quodcunq́, pericli est,
Inq́, salutatam linquo.

Cicero epist. 1. libr. 3. ad Q. F. sub finem epistolæ, ante valedictionem: Quid præterea? quid? etiam. In quem locum Paulus Manutius, genus est, inquit, in epistolis, præsertim ijs quæ ad familiares mittuntur, in extremo vsitatum. Varias enim res cũ scripsimus, nec iam memoria quidquam suppeditat: quasi nos hæc per litteras collocutio delectet, ipsi nos interrogamus, numquid præterea scribendum supersit? deinde, alterum, Quid, est illud quidem ipsum quoque cum interrogatione positum: sed responsio tamen ad priorem interrogationem quædam videtur. Nam cum rogauit, quid præterea est quod scribam? respondet, quid scribam? quasi dicat: nunc quidem nihil video, quod præterea poßim scribere, mox inuenta re subiungit: Etiam. etiam inquit, præter superiora aliquid est. sic ep. 10. li 1. ad Att. Noui tibi quidnam scribam? quid? etiam. & ep. 6. li. 2. ad eundem: Præterea de muro statue, quid faciendum sit, aliud quid? etiam. quando te proficisci istinc putes, fac vt sciam. Vale. & 19. eiusdem lib. atq́, etiam alibi. Ciceronis mos.

Obseruauit adhuc Manut. officio fere suas epistolas Ciceronem claudere consueuisse. Exempla cum innumera occurrant, ego vnum & alterum puerorum causa adducere volui. Ep. 4. lib. 6. Ego quæ te velle, quæq; ad te & ad tuos pertinere arbitrabor, omnia studiose diligenterq; curabo. et 5. A me vero tibi omnia liberisq; tuis paratißima esse confidas velim. Id enim & vetustas nostri amoris, & mea consuetudo in meos, & tua multa erga me officia postulant. et 18. li. 5. Meus animus erit in te liberosq; tuos semper, quem tu esse vis, et qui esse debet.

De tempore, loco, & salutationibus. Cap. LV.

HAbet aliquam voluptatem, sæpe autem vtilitatem, cognoscere [a] quando scripta sit epistola, & vbi locorum viuat is qui scripserit. Vtrumq; vero, & tempus, & locus, vel breuitatem literarũ, vel raritatem, vel negligentiam interdum excusat. Sic igitur tempus adscribemus. Datum, Data, aut prætermisso participio, ad III. Non. Octob. ad XV. Kalend. Nouem-

uembres. Aut ſine præpoſitione. IV. Idus Aprilis &c.

Locum ſic. Theſſalonicæ, Brundiſij, Athenis, Leucade &c. poterit etiam locus hoc pacto ſignificari. Rhegij, è caſtris. Romæ, ex ædibus noſtris, ex cubiculo meo: & adiungi denuo tempus, hac ratione. Ante lucem, veſperi, [b]hora tertia, Liberalibus &c. Paulus Manutius & Angelus Politianus apponunt annum à Chriſto nato ſic. Venetijs, M. D. LIII. Florentiæ, X. Kalend. Maias, M. CCCC. LXXXX, idq́ pro olympiadibus & Coſſ. per quos Romani atque Græci annos ſupputabant. Atqui ex his tribus, valedictione inquam, tempore, & loco non raro aliâs valedictio (cum ſcilicet toties ad eundem ſcribimus) aliâs locus, aliquãdo tempus omittitur, cum vel parum refert, addas nec ne, vel is cui ſcribitur, iam nouit. Neq́ certus ſemper ordo tenebatur, nunc enim hoc nunc illud antecedebat. Vale. Romæ, Nonis ſextil. Nota.

Vale. V. Kalend. Martias Neapoli.

Pridie Idus Maias Placentia. Vale. hoc tamen vltimum vix inuenias.

Consueuimus adhæc aliorum nomine alios in extrema epistola salutare ante aut post Vale, his modis. Saluebis â meo Cicerone. Cicero meus modestissimus & suauissimus puer tibi salutem dicit. Cicero tibi plurimam salutem dicit, adscribit. Terentia tibi salutem. Terentia impertit tibi multum salutis, aut multam salutem. Alios item nostris verbis salutari petimus. Alexim humanissimum puerum saluere iubeas velim. Dionysium iube saluere. De Attica optime, & ei salutem dices, & Piliæ. Piliæ & puellæ Cæciliæ bellissimæ salutem. Atticæ plurimam salutem velim dicas. Valebis, & valere filiam & Cęciliam nostram iubebis, & saluebis à meo Cicerone. Dionysio plurimā salutem. Cornelio verbis meis salutem dices. Demetrium saluere velim iubeas plurimum. Piliæ salutem dices & Atticæ, delicijs atq; amoribus meis.

meis. Atticam noſtram cupio abſentem ſuauiari: ita mi dulcis ſalus viſa eſt per te miſſa ab illa. Referes igitur ei plurimam, itemque Piliæ dicas velim. Deniq; reſtāt alia quædam, quæ ab hominibus eruditis, & inprimus â M. Tullio fieri ſeruariq; ſolent in calce epiſtolarum, quæ, ſi ad præcepta certoſque locos redigere omnia voluerimus, nimis longum faciemus. Satis ſit præcipua duntaxat paucis explicaſse: cætera ipſi adoleſcentes notent, & ſcribendo imitentur.

SCHOLIA.

Verum enimvero, ſi in ipſiſmet litteris ſeu in corpore litterarum, tempus & locus notentur aliquando, uitabuntur multæ magnæque perturbationes, quæ nonnunquam ſolent exiſtere, cum epiſtola non ſimul ac ſcripta eſt mittitur, ſed dies aliquot aſseruatur, & res interim negotiaque commutantur. Interdum quoque epiſtola per dies plures in manu eſt, in eamq́; aliud alio tempore conijcitur, vt neceſſe ſit errare eum, qui omnia illo die, qui ad calcem adſcribitur

bitur exarata putet. Hinc Cicero ad huiusmodi vitandam confusionem, quandoq; initio, alias in medio epistolæ diem notat [b] Ad epistolas omnes horarum quoque momenta, nec diei modo, sed & noctis, quibus datæ significarentur, addebat, Sueton. de Octauio. [c] Quod attinet ad festos dies & ludos, quibus in tempore significando vti possumus, illi antiqui dicebāt: Data Liberalibus, Floralibus &c. pro quib[us] nostra vsurpanda sunt, verbi caussa, Datum seu data Epiphaniorum die, seu Regalibus, Hilaribus, si Bacchanaliorū dies cum Longolio ita vocare lubet. Cineralibus, Soterijs, pro die illo, quo liberatorem ac Seruatorem nostrum supplicio mortis in cruce extinctum anniuersario luctu prosequi solemne est Christianis. Aut simplicius & vsitatius, die Parasceues, Ferijs Resurrectionis, seu Christi ab inferis existentis, Pentecoste, Martinalibus, Natalibus &c.

Dies festi Christianorum.

Nomen in extrema epistola.

Nomē in calce epistolæ subscribere, natum est ex subscriptionibus, quas olim Principes addebant diplomatis: quarum meminit Suetonius in Nerone: post, vbi acrius inuasit animos ostentatio nobilitatis, & desiderium celebritatis exarsit, vnusquisque affectauit videri ortus regio sanguine, regiosq; mores tanquam sibi gentiles et patrios vsurpare. Alij existimāt cuiusdam moderationis esse, postremo se loco nominare. Quam fatue? quasi minus honestum sit, quicquid vltimum. Nonne animo legentis primum omnium occurrit, qui scribit? Quod si omnino

postre-

postremus esse cupit, ne ponat initio vel, ego, vel ver bum primæ personæ. Sed hæc sunt ineptissima, quæ conantur rerum naturam inuertere: natura enim primum in quocunq; opere facientem constituit. Quæso quid absurditatis habet, si is primus occurrat oculis, qui primus occurrit animo & cogitationi? immo quantumcunq; abscondas te, et in angulum chartæ secedas, resoluta epistola statim à principio legeris: nisi iam antea sciat qui legit, à quo mittatur. Hæc Ludo. Viues

De[a] Kalendis, Nonis & Idibus; & quomodo per eas loquantur probati auctores. Cap. LVI.

TEmpus epist. adscribi oportere, supra docuimus. Id numerandis Kalēdis, Nonis & Idibus, in quas vnusquisq; mensis tamquam in partes distribuitur, fieri debet. Vt igitur adolescentes horum nominum dierumq; rationem probe intelligant, & cum vsus postulauerit, prompte ac sine errore tempus per illos notare posśint, breuiter & distincte, quantum consequi poteri

poterimus, de ipsis hoc capite differemus. Macrob. lib. I. Saturnal. cap. 15. Priscis temporibus, inquit, antequam Fasti à Cn. Flauio scriba inuitis Patribus, in omnium notitiam proderētur, Pontifici minori hæc prouincia delegabatur, vt nouæ lunæ primum obseruaret aspectum: visamq; regi sacrificulo nuntiaret. Itaq; sacrificio à Rege & minore Pontifice celebrato, idem Pontifex, calata, id est, vocata in Capitolium plebe, iuxta curiam calatam, quę casæ Romuli proxima est, quot numero dies à Kalend. ad Nonas superessent, pronuntiabat: & quintanas quidem quinquies dicto verbo καλῶ, septimanas repetito septies prædicabat. Verbum autem καλῶ gręcum est, id est, voco: & hunc diē qui ex his diebus qui calarentur primus esset, placuit Calendas vocari. Hinc & ipsi curiæ, ad quā vocabantur, calatæ nomen datū est: & classi quod omnis in eam populos vocaretur. Ideo autē minor Pontifex numerum dierum, qui ad Nonas superessent, calando

Aliàs calabram.

Calendæ.

Aliàs calabra.

calando prodebat, quod poſt nouam lunam oportebat Nonarum die populares, qui in agris eſſent, confluere in vrbem, accepturos cauſſas feriarum à Rege ſacrorum: ſcituroſq; quid eſſet eo menſe faciendum.

Vnde quidam hinc Nonas exiſtimant dictas: quaſi nouæ initium obſeruationis: vel quod ab eo die ſemper ad Idus nouem dies putentur. Sicut apud Tuſcos Nonę plures habebantur: quod hi nono quoq; die Regem ſuum ſalutabant, & de proprijs negotijs conſulebant. *Nonæ.*

Iduum porro nomen à Tuſcis apud quos is dies Itis vocatur, ſumptum eſt. Item autem illi interpretabantur Iouis fiduciam. Nam cum Iouem accipiamus lucis auctorem, vnde & Lucetiũ Salij in carminibus canũt: et Cretenſes Δία τὴν ἡμέραν vocãt: ipſi quoq; Romani Dieſpitrem appellant, vt diei patrẽ: iure hic dies Iouis fiducia vocatur, cuius lux cum ſolis occaſu non finitur, ſed ſplendorem diei & noctis continuat, *Idus.*

illuſtran-

illustrante luna, quod semper in plenilunio, id est, medio mense fieri solet. Diem vero, qui vel nocturnis caret tenebris, Iouis fiduciam Tusco nomine vocauerunt. Vnde & omnes Idus Ioui feriatas obseruandas sanxit antiquitas. Alij putant Idus, quod ea die plena Luna videatur, à videndo vidus appellatas, mox litteram, v, detractam: sicut contra, quod Græci ἰδεῖν dicunt, nos, v, littera addita, videre, dicimus. Nonnullis placet Idus dictas vocabulo græco ἀπὸ τοῦ εἴδους: quod eo die plenam speciem Luna demonstret. Sunt qui existiment, Idus ab oue iduli dictas, quam hoc nomine vocant Tusci, & omnib' Idibus ouis immolatur à Flamine. Nobis illa ratio nominis vero propior existimatur: vt Idus vocemus diem, qui [b] diuidit mensem, Iduare enim Etrusca lingua diuidere est: vnde vidua, quasi valde idua, idest, valde diuisa: aut vidua, id est, [a] viro diuisa.

Vidua vnde dicatur.

Quot autem dies quisque mensis, quot Nonas & Idus complectatur, his versibus clare docetur.

Ter

Ter denos September habet totidemq́, Nouember, *Dies cuiusque mensis.*
Iulius, Aprilis, reliquis superadditur vnus.
Sit nisi bissextus, vicenos Februus octo.
Prima dies mensis cuiusq́, est dicta Calendæ.
Sex Maius Nonas, October, Iulius & Mars:
Quatuor at reliqui. Tenet Idus quilibet octo.
Inde dies alios omnes dic esse Calendas,
Quas retro numerans dices à mense sequenti.

Hęc omnia pluribus versibus, & elegantius explicauit in Eidylliјs Ausonius quem, qui voluerit, legat.

Superest posterior pars, vt demonstremus, quonãmodo per Kalend. &c. cum optimis autoribus loquamur. Primum omnium, quin recte & latine dicatur pridie Kalend. Non. Idus: item IV. seu die I V. Kalend. Non. Idus, nemo quisquam dubitabit, subintelligitur enim præpositio, ante, per ellipsin, quasi dicas, pridie, seu I V. antę Kalendas, hoc est, ante eum diem, qui dicicitur Kalendæ. Exempla infinita passim occurrunt. Deinde idem prorsus est, III. Kalend. & ad III. Kalend. sicut non differunt, ad diem constitutam venire, & die constituta: aut ad

tempus venire, & tempore. Quare deridendi sunt Grammatici, qui ita ad III. Kalend. & III. Kalend. distinguunt, vt per hoc definitus atque certus dies significetur, qui est tertius, per illud vero, non intelligamus ipsum tertium diem à calendis, nec aliquem tertium diem, sed diem aliquem illi propinquum: & perinde sit dicere, ad tertium Kalendas, ac si diceremus, circiter tertium Kalendas. Tullius & cæteri scriptores optimi, hæc Grammaticorum somnia & commenta refutant. Et vt nihil differunt, III. Kalend. & ad III. Kalend. sic nullo modo discrepant, ad Kalend. Quintiles, vel Kalend. Quintilibus. Quod hîc dico de Kalendis accipi, volo (sicut ea, quæ infra dicentur) etiam de Nonis & Idibus.

Grammaticorum somnia.

Ergo quæ ad huc explicauimus, nec obscura, nec inusitata sũt. At ista, Ante diem V. Kalend. Maij, In ante diem XV. Kalend. Martias, Ex ante diem Nonas Iunij, quomodo M. Tullius

Tullius in oratiōibus suis, in epistolis, præsertim ad Atticū millies loquitur, hæc inquam à paucis intelliguntur, & à nemine fere vsurpantur. Ante diem V. Kalend. Maias, id est, eo ipso die V. Kalend. Maij, 27 videlicet Aprilis. In ante diem X V. Kalend. Nouemb. Id est, in diem illum ipsum, qui est 15. ante Kalend. Nouemb. nimirū 28. Octobr. conumerato ipso Calendarum die, quod in his loquēdi generibꝰ notandū est. Ex ante diem Non. Iunij, id est, eo ipso die Nonarum Iunij, ex 5. die mensis Iunij. Quod autem pro eo ipso die, non præcedente illum numerū qui exprimitur, accipi debeant huiusmodi locutiones, certissimis argumentis & ratione conuincam. Gellius M. Tullium Ciceronem ante diem III. Non. Ianuarias natū esse scribit. Atqui Cicero ipsemet III. Non. Ianuarij suū natalē esse asserit l. 7. ad. Att. ep. 5. & li. 13. ep. 40. XIV. Philipp. Memoria tenēt me ante diem XIII. Kalend. Ianua.

Lib. 15. *cap.* 28.

P ij prin-

principem libertatis reuocandæ fuisse. Intelligit autem orationem 3. Philipp. quã ipso die XIII. Kalend. Ianuarias habuit in Senatu. lib. epistolarum 16. ep. 5. Nos apud Alyziam, ex quo loco tibi litteras ante dederamus, vnum diẽ commorati sumus, quod Quintus nos consequutus nõ erat. Is dies fuit Non. Nouemb. Inde ante lucem proficiscentes, ante diẽ VIII. id. Nouemb. has litteras dedimus. Est igitur concisa locutio cum dicimus, III. Non. Nouemb. quæ integra fit, cum dicimus, III. ante Non. qua non vtebantur antiqui, sed eius loco, Ante diem III. Nonas, id est, ante Nonas die tertio, conumeratis, vt superius ad monui, ipsis Nonis.

Manut. schol. ep. 12. lib. 3.

Cicero omisit vocabulum, diem, & dixit ante VIII Kalend. sextil.

Doctisimi quidam viri, in terquos Lamb. & Manut. vbicunq; reperitur in Cicerone, ad III. vel ad IV. Kalend. &cæt. scribendum censent, a. d. vt significet, ante diem. quem loquendi modum cum ignorarent librarij imperiti, sæpenumero pro a. d. ad, scripserunt. Hanc scripturam & formam locutio-

cutionis confirmant etiam Græci auctores, qui latinis mensium nominibus vtũtur: sic enim ipsi quoq; loquuntur, πρὸ δ' νοννῶν ἀπριλλίου, πρὸ ἡ εἰδῶν ἰουνίου, πρὸ καλανδῶν ιθ' σεπτεμβρίου. Titus Liuius quoq; 3. ab V. C. Ante diem III. Idus sextiles consulatum ineunt. Et lib. 45. supplicatio pro concione populi indicta est, ex ante diem V. Idus Octob. Varro lib. I. De re rustica. ex a. d. VII. Id. Februarias. Ex a. d. VII. Id. Maij. id est, ex eo die, qui dicitur Ante diẽ VII. Idus. Porro in historiarũ libris de Regno Italiæ, non semel scriptores istos longe optimos imitatus est eloquentissimus & grauissimus antiquitatis explicator Carolus Sigonius.

Lege Manut. Schol in epist. 7. li. 8. et in 17. lib. 3. ad Att.

SCHOLIA.

a Cum in enumeratione menstruorum dierum Nonæ & Idus antecedant Calendas, eaq; Calendarum conditio sit, vt præter vnum diem, reliquæ alterius mensis sint: et si primus cuiusq; mensis dies vocatur Calendæ, tamen in enumeratione trium illarũ mensis partium cauebant diligenter Romani, ne ante Nonas & Idus Calendas nominarent. Itaq; Nonas

Idus, Cal. dicebant, ne si secus nominarent, male ominosum esset. Cicero tamen in Verrē Calendis, Nonis, Idibus dixit, vt ibidē notauit Asconius. Hæc Turneb. aduersar. lib. 15. cap. 14. b *Quo videtur allusisse Horatius, ode 11. lib. 4. Idus appellās diem qui findit mensem. Et Dionys. Halicarnass. exponit Idus* διχομηνίδα ἡμέραν. *hoc est, dissectorē mensis diem, & quasi semestrem.* c *Quidā istas loquendi formas ex ante, in ante diem, ante diem Nonarū &c. sic interpretantur, vt dicant, sub audiri verbum hoc, finitū, aut tale quippiam quasi dicas, ante diem. V. Kalend. finitum, exactum, id est, inquiunt, nihil aliud, quam, V. Kalend. Lege etiam si placet, Francis. Marcoduran. cap. 2. vitæ Ciceronis. Spero autem hanc totam disputationem non inutilem, nec iniucundam lectoribus accidisse; nos certe prius multum sudauimus, quā hæc isto modo explanare possemus.*

De epithetis. Caput LVII.

Lib. 8. cap. 2. & 6.

EPithetorum, quæ M. Tullius in Partit. oratorijs ad nomen adiuncta, Quintilianus apposita, Priscianus & Grāmatici adiectiua nominant, cum in omni sermone scriptio neq; magnus et creber, tum in super-

scrip

ſcriptione, quam vocant, epiſtolarum neceſſarius eſt vſus. Quo circa prius nonnulla de epithetis præcipiemus, quam de ratione ſuperſcriptionis dicere ingrediamur: vt etiam hac in parte adoleſcentium elegantiæ ſuauitatiſq; cupidorũ induſtriam ſtudio & labore noſtro adiuuemus. Ariſtoteles lib. 3. de doctrina dicendi, cũ de elocutione diſputat, oportet inquit, et adiuncta ad nomen & tralationes accomodatas ſumere. Hoc autem fiet, ſi ex proportione ducantur: ſin minus, indecorum apparebit, contraria namq; inter ſe collata maxime euceſcunt. Quibus verbis accuratus ille magiſter duo quædam docet. Vnum, epitheton debere accomodatũ eſſe ei, cui adiungitur: omnẽ quippe vim, leporem & gratiam voces alioqui lectiſsimæ amittũt, niſi loco & opportune fuerint vſurpatæ. Alterũ, quo pacto id fieri poſsit: ſi ducantur nimirũ ex proportione, quã ſi negligemus, ſtatim indecorum apparebit, eo quod contraria et minime in-

Ariſtotelis doctrina de Epithetis.

Tritum axioma.

ter ſe conuenientia, cum mutuo conſeruntur, magis ſolent perſpici. Sed exemplis res clarior fiet. Sumamus duo nomina contraria, pax, bellum, virtus, vitium: nunc totidem epitheta, tranquilla, turbulentũ, amabilis odioſum. Si primum conueniat primo, hoc eſt, ſi pax recte dicitur tranquilla, ſecundũ eius contrario conueniet, & dicetur bellum recte turbulentum. Item ſi epitheton, amabilis, quod eſt contrariũ huic, odioſum, conueniet virtuti, odioſum conueniet vitio, quod eſt contrarium virtuti. Quod ſi contraria nomina non fuerint, videndum eſt, an contrarium epitheton eidem nomini conueniat. Tũc enim id, quod addere volebamus, non erit accomodatum, vt ſi bene dixit Vergilius, Monſtrum horrendum, informe, male dicet, qui, Monſtrũ amabile, formoſum appellarit. Interdum etiam contraria epitheta eidem conueniunt, cum qualitates mutantur, vt mala mens, malus animus, bona mens, bonus animus, lati humeri, lata frons.

anguſti humeri, anguſta frons. Interdum plura epitheta eidem nomini adduntur, vt ſingularis eximiaq́; virtus, incredibilis ſapientia ac pene diuina: multaq́; eiuſdem generis, quæ paſſim occurrunt apud bonos auctores. Conſule M. Anton. Maioragium in 3. Rhetoricor. Ariſtotelis.

Iam, epitheton tribus modis ſumi, aut ab animo, aut à corpore, aut à reb' externis: & ſumi præcipue laudandi uituperandiq́; cauſſa: & poëtas frequẽtius ac liberius vti epithetis quam oratores, hæc, inquam, ſatis nota ſunt, eorumq́; ſubtilior explicatio, ad noſtrum inſtitutum non valde pertinet, quamuis ad elocutionem epiſtolicam generatim pertinere videatur: atque ideo magiſtri in hac arte tradenda, de appoſitis pręcipere quantum ſufficere putabunt, ne omittant. Nos ad inſtituta pergamus.

Quia ergo epiſtola eſt genus ſcriptionis communiſsimum, eiuſque lõge plurimus inter nobiles ignobiles, do-

ctos indoctos, senes adolescentes, sacros profanos, sūmos infimos &c. vsus cernitur, ordine quodam, diuersorum statuum, ætatum, sexuum, conditionum &c. selectiora epitheta subijciemus. Qua in re idcirco breuiores erimus, quod prudentia, quæ cum ætate crescit, & diligens præstantium authorum lectio non modo copiam maiorem appositorum suppeditabunt, verum etiam delectum & proprietatem eorundem docebunt.



Ponti-

Pontifex Maximus.

Sanctissimus.
Beatissimus.
B. Petri Apostolorum principis successor.
IESV Christi Vicarius.

Cardinales.

Amplissimi.
Illustrissimi.

Episcopi.

Reuerendissimi.
Præsules sanctissimi.
Antistites Religiosissimi.

Abbates, Monachi, Sacerdotes.

Reuerendi.
Colendi.
Honorandi.
Religiosi.
Religiosissimi.

Imperator.

Augustus.
Inuictissimus.
Potentissimus.
Apud veteres, Diuus, ex adulatione, vt quidã docti sentiunt. Græci Impera. sæpe in edictis suis, nostra diuinitas &cæt.

Rex.

Gallorum.	Christianissimus.
Hispanorum.	Catholicus.
Britannorum.	Serenissimus.

Duces seu Principes.

Illustrissimi.
Clarissimi.
Excellentissimi.

Comites.

Illustres.
Inclyti.

Barones.

Generosi.
Nobilate generis. clari.

Consules.

Vigilantissimi.
Diligentissimi.
Clarissimi & grauissimi.
Optimi & præstantissimi.
Sapientissimi.

Senatores.

Prudentissimi.
Reipub. studiosissimi.
Lectissimi.
Ornatissimi & honestissimi,

Prætores.

Iustissimi.
Integerrimi.

Iudices.

Incorruptissimi.
Iustitiæ patroni.

Theologi.

Eruditissimi.
Diuinarũ literarũ scientia pręstant.
Singulari pieta. & erudit. præditi.
Sacrarum scripturarũ interpretes.

Clementissimus } Communia, vt etiam Serenissimus &
Potentissimus. } regibus & archiducibus tribuitur.

In

Iureconsulti.

Eximij.
Celeberrimi.
Legum peritißimi.
Vtriusque iuris antistites.
Integerrimi.

Medici.

Fidelißimi.
Clarißimi.
Multo vsu excellentißimi.

Pater.

Charißimus.
Amantißimus.
Plurimum semper obseruandus.
Optimus.

Mater.

Suauißima atq; optima.
Charißima & dulcißima.

Fratres.

Optatißimi.
Optimi.
Dilectißimi.
Amantißimi atque optimi.
Suauißimi.
Optimi & dulcißimi.
Charißimi atq; amantißimi.

Sorores.

Suauißimæ.
Vnice charæ. Dilectæ.
Charißimæ.
Dulcißimæ & amantißimæ.

Filij & liberi.

Amantißimi.
Charißimi.
Dulcißimi.
Suauißimi.
Melliti.
Mellitißimi.

Coniux.

Optima.
Charißima.
Fidelißima.
Suauißima.
Fidißima atque optima.

Sodales.

Iucundißimi.
Amicißimi.

Amici.

Primi & fidelißimi.
Sinceri.
Nostri perstudiosi.

Viri præclari.

Viri primarij.
Omni laude dignißimi.
Vita & moribus ornatißimi.
Probitate & humanitate conspicui.
Viri totius ciuitatis honestißimi.
Auctoritate & prudentia nobiles.
Laudatißimi & clarißmi.
Optime de Repub. meriti.

Adolescentes.

Ingenui.
Ingeniosi.
Ornatissimi. Doctissimi.
Bene morati.
Liberali ingenio.
Eximiæ indolis.
Literarum studiosissimi.
Optimæ, summæ spei.
Præstantissimis ingenijs.
Optimis studijs dediti.
Literarum studijs & doctrinæ præditi.
Summæ eruditionis, summæq; virtutis.
Rectissimis studijs atq; optimis artibus præditi.
Bonis artibus & disciplinis ornati.
Humanissimi & optimi.

Matronæ.

Castissimæ.
Probatissimæ.
Pudicissimæ.
Religiosissimæ.
Eximia pietate & virtute.
Sanctissimæ atq; optimæ.
Præstantissimæ omnium fæminarum.
Primariæ fæminæ.
Spectatissimæ castitatis.
Prudentiss. grauiss. & lectissimæ.

Virgines seu puellæ.

Castæ.
Verecundæ.
Bene moratæ.
Pudicissimæ.
Honestatis exemplaria.



SCHOLIA.

Iamdudum fortasse ridet nasutus aliquis, nostram inconsiderantiam, qui tam studiose mulierum epitheta conquisierimus, cum hoc sæculo ad fæminam nullam latinæ scribantur epistolæ. Est quod respondeamus. Primum, eorum vestigia insequimur, qui de arte componendarum epistolarum hactenus præcepta reliquerunt, & hæc scriptio sicut nullum fere argumentum, ita profecto nullam personam aut sexum excludit. Quare nec de Pont. Max. Imperat. & Regibus silendum fuit, etiamsi nemo forsan nostris præceptionibus istis imbutus, ad huiusmodi Principes vnquam scripturus sit. Quod si in tradendis artibus nostrorum temporum tantũmodo vsus, & non magis ipsa rei perfecta species atq; forma intuenda est, multa ex Rhetoricis, multa ex alijs disciplinis prætermitti omnino debebunt. Et falsum est, nusquam hodie latinè doctam inueniri mulierem. Quid verò, si quis etiam natiua & patria lingua cum scribet, ex nostra hac diligentia proficiat? Postremò, si his in literarum inscriptionib. minus vtemur, attamen cum de matribus, virginibus, matronis, sororibus loquendum aliquid, aut scribendum erit, tum vtemur: planeq; multum refert, quæ tunc epitheta singulis tribuamus.

De epigraphe ſeu inſcriptione epiſtolarum. Cap. LVIII.

DE inſcriptione nihil habemus antiquorum, quod quidē certo poſsimus affirmare. qua de cauſſa exiſtimarunt nonnulli, titulos fuiſſe ſuperſcriptiones: quam opinionem ante refelli. Sed ſuſpicor multis epiſtolarum non fuiſſe additam ſuperſcriptionem: ſicuti nec intus in calce, locum aut tempus, quum iam alioqui ſciretur, aut nihil referret. Itaque vbi is, cui perferenda epiſtola dabatur, cui nam eſſet redditurus nouerat, nihil erat ſuperſcriptione opus. Fere autem eam ad rem vel domeſticis vel notis hominibus vtebantur: quod ſi publico tabellario committerent, is vtique ſigna dignoſcebat. Sed coniecturarum ſatis: ſuperſcriptio certe hoc tēpore neceſſaria eſt. Ex Ludo. Viue. Vide cap. 14.

Clauſa igitur & obſignata epiſtola, in tergo illius, nomina eius cui mittitur, cum honoribus & dignitatibus

quas

quas gerit, ponuntur, tertio caſu, perinde vt in ſalutationibus, niſi quod nomen noſtrum tacemus. Quamquam etiam ante nomina vnum atq; alterum epitheton collocare in more poſitum eſt, ſicuti poſt nomina & dignitates. Notatur quoq; locus in quo ille verſatur, cui reddendæ ſunt litteræ. Vtrum autem ſcribas meo, an, ſuo, parui refert. Viues tamen: vt in titulo, inquit, dicitur ſuo, ita in ſuperſcriptione, meo: nã hîc qui ſcribit, iniungit tabellario vt perferat, vel reddat eas litteras: alterũ enim illorum verborum ſubauditur. Nunc ob vtilitatem puerorũ, aliquot inſcriptionum exempla conficiemus.

Ad Epiſcopum.

Reuerendiſs. P. & Illuſtriſsimo Principi Marquardo à Berg, Pontifici Auguſtano, ſingulari omnium honeſtarum artium defenſori atq; Patrono. *Dilingæ.*

Ad Principem.

Illuſtriſsimo Alberto vtriuſq; Bauariæ Principi, Palatino Rheni, Męcenati ſuo & Patrono liberaliſsimo ac benigniſsimo. *Monaci.*

Ad Parentes.

Antonio Seuerino Prætori, amantiſsimo parenti, & Appolloniæ ſuauiſs, & dulciſsimæ matri, ſuis. *Lugduni.*

Ad

Ad Fratrem.

Ernesto Mario rectißimis studijs, atque optimis artibus dedito adolescenti, charißimo & amantißimo fratri suo. *Ingolstadium.*

Acusandi casu, vt P. Manut. facere consueuit.

Ad præceptorem.

Eximia eruditione, & multa probitate insigni Nicolao Salio, doctori meo longe charißimo. *Pragæ.*

Ad studiosum litterarum.

Ingenuo & optimæ spei adolescenti Petro Curtio, liberalium disciplinarũ studioso in Academia Dilingana.

Ad virum honoratum.

Auctoritate & prudentia excellentißimo viro N. N. Serenis. Ferdinandi Archid. Consiliario &c. *Oenipontum.*

SCHOLIA.

Haud scio, an vlla in parte scriptionis huius, maiores ineptiæ, craßiorq; barbaries cernatur hodie, quã in superscriptione. Nam & verbis non necessarijs adeoq; multis vtuntur quidam, vt totum epistolæ tergum referciant. ita sunt deinde politi atq; tersi, vt nihil videri poßit contaminatius, cum Dominis Dominis, & Dominationibus, & infinitis titulis sordide elatis ad extremum adijciunt, hæ aduolent litteræ, ad manus proprias, & similes flosculos. Moneatur iuuentus, vt ab his sordibus abstineant, magisq; veram, grauem & breuem, quam falsam, superstitiosam & longißimam inscriptionem prudentibus atq; doctis probatum iri confidant. Quid rectum &

elegans esset ostendi: si quis aliter sapit, ille. Sed præstat motos componere fluctus. Si quis autem satis esse ad defensionem arbitratur consuetudinem, ille discat probatam vitiosæ, antiquam nouæ, aptam ineptæ consuetudini opponere. Etiam maior pars eruditorum hodie parū Romane loquitur, & est ea paßim consuetudo. Num ideo iuuentus ad id quod politißimum atq; cultißimum est, præceptis instrui, & minis vrgeri non debet?

PARS TERTIA.

De exercitatione scribendi. Cap. LIX.

SIcut pingere volentibus nihil prodest Apellis & Parrhasiј laudatissimorum pictorum pulcherrima opera considerare & attente contemplari, nisi ipsi quoq; arrepto penicillo pingere aliquid instituant, ita sane, prȩcepta perdidicisse omnia, et M. Tullij, Plinij Secundi, aut Pauli Manutij aliorumue tamquam probatissimorū artificum epistolas suspicere & admirari,

ri, nihil penitus conducit, si tu quoque sumpto in manus calamo quotidie te non exerceas. Stylus, crede mihi, immo crede Ciceroni, & ex tripode profectũ puta, optimus & præstantissimus est dicendi effector ac magister. Nemo vnquã orator, nemo egregius scriptor sine multa exercitatione euasit. Hortensius nec vnum pręterirẽ diem patiebatur, quo se non aut domi, aut in foro dicendo exerceret: sæpe vtrumq; eodem die faciebat. Cicero aiebat se timere, si non frequenter declamaret, ne, quod adeptus erat in arte oratoria facultatis, exaresceret. Quem locum adducens Paul. Manut. Attende, inquit, mi Paule, & tuam caussam, à qua mea disiuncta non est, si placet, mecum considera. Ille sibi, homo Romanus, latinę orationis inopiam metuebat: cum tamẽ omnibus in hoc genere diuitijs abundaret: nos, quibus latina lingua peregrina est, qui in optima scribendi aut dicendi ratione rudes, & infantes pæne sumus, de summa eloquentia sine

1. de orat. de clar. orat.

Epist. 18. li. 9.

Ad Paulum Contarenum. ep. 11. lib. 1.

ſummo ſtudio cogitabimus ? & vnam omnium difficillimam rem, eandemq; omnium glorioſiſsimam, ludibundi cō ſequemur? Vides me ipſum, qui, quid ſim, ego quidem nō ſtatuo: ſed ſunt qui bus non eſſe nihil videar: nullum pęne diem intermittere, quin aliquid latine ſcribam ? cum tamen, ex quo lapidem hunc voluo, annus iā viceſimus abierit.

Manutius quotidie aliquid latine ſcribebat.

2. de Off.

Præclare Cic. nec medicos nec Imperatores, nec oratores, nec vllos alios, quamuis artis præcepta perceperint, quicquam laude dignum, ſine vſu & exercitatione conſequi potuiſſe.

Quia igitur nullo in ſtudio, nedum in oratorio, nuda ars ſufficit (nihil quippe natura cito magnum fieri voluit, ſed pulcherrimo cuiq; operi difficultatem propoſuit, quæ labore & exercitatione vinceretur) in hoc certe, quę bona pars & riuus quidā dici poteſt doctrinę oratoriæ, plus etiā aſsiduitas exercitationis, quā ars efficiet. Quare ſcribendū eſt in ſingulos dies, vt Appelles quotidie lineam ducebat, & ſcribendum eſt bene:

Nulla dies ſine linea.

bene

bene autẽ ſcribendo, etiam fiet, vt cito ſcribatur. Nec magni refert, quã multas chartas impleueris, ſed quã diligẽs, quam accuratus fueris, in quo vno profecto ſunt omnia, & prora & puppis, quod aiunt.

SCHOLIA.

Si is demum eleganter, copioſe & erudite ſcribit, qui multam cogitationem multumq; tempus adhibet ad ſcribendum, & qui id quod ſcribit quam diligentiſſime caſtigat, non poteſt vllo modo bene ſcribere, qui ex tempore, id eſt, ſine cura ſcribit. Hinc quando ſcriptorum noſtrorum vitia excuſare volumus, dicere ſolemus, ea eſſe extemporanea, vt ſatis appareat, quid de huiuſmodi ſcriptionibus ſentire debeamus. Non ſunt igitur adoleſcentes hoc modo exercendi, niſi velimus eos perpetuo inepte ac male ſcribentes reddere. dandum eſt illis aliquot dierum ſpatium, cohortandiq; erunt, vt omnẽ ſedulitatem ſibi adhibendam exiſtiment in ſcribendo. Interdum tamen, vt ſciatur melius, quid & quantum profecerint, extemporanea & improuiſa ſcriptione tentari poterunt. Nam qui diligentes antea fuerunt, & multum ſcripſerunt, ijdem quoq; propter conſuetudinem ſuam etiam ſubito bene ſcribent. Quanquam ſollerti magiſtro hoc genere examinis opus eſſe non videtur, mirum enim, ſi ex ep. totius anni nondum intellexerim, quid meus diſci-

discipulus sit assecutus. Nec vero iudicabit quemquã ex tempore scripturum recte, qui antea magna etiam cum attentione, & longa mora vsus, semper male scripserit.

De diuersis thematis à doctore proponendis. Cap. LX.

M Verrius Flaccus illustris Grãmaticus, ad exercitanda discẽtium ingenia, vt Suetonius memoriæ prodidit, æquales inter se committere solebat, proposita non solum materia quam scriberent, sed & pręmio q̃d victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus, pulcher, aut rarior. Quare ab Augusto quoq; nepotibus eius præceptor electus transiit in Palatiũ cum tota schola. Huius auditores hac institutione multum profecisse, & præstantes postea viri euasisse dicuntur. Istius doctoris exemplum sequi debent ludimagistri, quando etiam Quintilianus iubet materiã præscribere pueris, in qua sese exerceant.

Lib. de Illustrib. Grammat.

Illa vero materia, seu illa argumen-

quæ

ta quæ à doctore dictantur, ne ſint ari- *Argumenta qualia.*
da, perplexa, ſpinoſa, ne nimis breuia
& anguſta, verum copioſa, facilia, a-
perta, amœna, faceta, noua, puero-
rumq; ingenijs accõmodata: in eiuſmo
di enim cum libenter, tum fructuoſe
exercẽtur. Hęc ſumi poterunt ex ijs re-
bus & auctoribus, qui explanantur in
ſcholis. Item ex[a] fabulis Ouidianis, &
ſcriptis poëtarum, Epicorum vt Ho-
meri, Virgilij, Comicorum vt Ariſto-
phanis, Plauti, Terentij, Tragicorum
vt Euripidis, Sophoclis, Senecæ. Ex
hiſtoricis tam ſacris quam profanis.
Per ſacros intelligo nihilominus ve-
teris teſtamenti & Euangeliorum li-
bros. ex profanis ſuppeditabunt copi-
am & varietatem magnam T. Liui. Xe-
nophõ, Plutarchus, Q. Curtius &c. Re
petatur verbi gratia cædes Polixenæ
ex Euripidis Hecuba. Hortemur Græ-
cos, ne illam ad Achillis tumulum ma- *Ex tragœdiis*
ctent. Dehortemur Medeam à cęde par
uorum liberorum. Inuehamur in ſce-
lus Atrei, qui apud Senecam Thyeſtæ

 fratris

fratris sui liberos occidit, & coctos patri comedendos apponit. Gratias a-
Ex historia. gamus S. P. Q. R. quod M. Tullium patriæ parentem ab exilio reuocarit. Gratulemur Augusto victoriã de Antonio & Cleopatra. Petamus à Catilina ne vexet Rempub. Disuadeamus
Ex sacris libr. Herodi, ne promissa puellæ saltatrici facta, seruet. Laudemns Ioannis Baptistæ inuictam constantiam: vituperemus Pilatum, defleamus infantium puerorum atrocissimam trucidationem. Consolemur Dauidẽ à Saul ad necem quæsitum, & multis iniurijs affectum. Deniq; ne longior sim, infinitus hic adolescentibus patebit campus.

Præceptorum munus & officium erit in his delectum habere, & optima queq; discipulis proponere, quoad ipsi in lectione bonorum poëtarum historicorumq; versati, suis auspicijs, & sine Theseo rem gerere possint. Porro eadẽ hypothesis iterum ac tertio alijs verbis, alioque orationis habitu, & interdum contrario plane tractanda & ver-

sanda

ſanda erit, vt, quod modo laudarunt, vituperent, quod ſuaſerunt, diſuadeāt. Ex his ſimilia intelligantur.

SCHOLIA.

a Qui arbitrantur cognoſcendis tractandiſque fabulis tempus male conteri, non recte ſentiunt, & in ſtudijs humaniorum præſertim litterarum modicos progeſſus habent, qui magnam earundem neceſsitatem vtilitatemque videre nondum potuerint. Nec vano quodam inanique timore perturbari debent magiſtri, ne adoleſcentia illis nugis fidem habeat, ſunt enim plærumque vulgatiſsimæ, nec vllus adeo ſtultus reperitur, adeoque ab omni ingenio & prudentia relictus, vt inania eſſe non intelligat. Verum, non quicquid falſum, inane, ridiculum, addo etiam, nō quicquid turpe eſt, ſtatim repudiari, & funditus aboleri decet. Sed hac de re ſatis in præſentia.

Poterit aliquando ſumi argumentum ſiue ſententia ſcriptoris alicuius, quam ille ſua epiſtola complexus ſit, & pueris ad ſcribendum proponi, deinde epiſtola cum epiſtola comparari, ex qua comparatione nullo negotio perſpiciet magiſter, quid diſcipulus proficiat, & quæ ſpes in poſterum de eo concipienda ſit. Vbi non mediocriter progreſsi fuerint, latinamq; phraſin probe cognitam & perſpectam habuerint, Germanica lingua dictabimus argumentum, & in illius interpretatione alumnos noſtros exercebimus. *Argumentum lingua patria.*

Hoc genere exercitationis non nisi sero utendũ est. Sero inquis? Sero, inquam, etenim vertere de Germanico in latinum, & bene vertere, est robustorum, non imbecillium atq; puerorum, quibus, cum in latinitate alta fundamenta necdum iacta sunt, huiuscemodi conuersiones prosunt nihil & obsunt plurimũ. Atq; vt non obessent, fatigarent tamen supra modum præceptorem, quem oporteret in ostendẽdis germanismis, docendisq; latinismis ingentem laborem suscipere, quo eum ipsimet discipuli maximam partem leuabunt, quando in latina lingua non parũ profecerint, & istos idiotismos per se, nullo monstrante cognoscere potuerint. Præterea non dubito quin prudentes mihi assentiantur, hanc exercitationem interpretandi, quia perfecta est & laboriosa, non primam, sed extremam potius esse oportere, nobis, qui latinam linguam cum lacte materno haud suximus, sed multis annis, sudore, ac labore maximo vix quandam eius particulam cognoscimus. Dici tamen pueris & dictari poterit Germanice, de quo scribãt: verum, hoc non erit interpretari. Fuerit autem ad comparandam verborum copiam, & scribendi facilitatem fortasse necessarium, nedum vtile, in alijs quoque scriptionibus, quã in epist. exercere pueros, quod hoc capite potißimum docere præceptores seu monere studui.

Scri-

Scribendum nonnunquam ſine argumento. Cap LXI.

VTile fructuoſumq́ꝫ cenſeo, interdum nullum penitus dictare argumentũ, ne praua conſuetudine ſemper alienis auxilijs nitendi, ciboſqꝫ iam præmanſos comedendi nihil per ſe egregium conentur diſcipupuli, nihil quærant, de nulla re ſolliciti laborent. Quamobrem magiſtri, proinde vt auiculæ pullis ſuis adhuc teneris & implumibus eſcas opera ſua conquiſitas in os ingerant: ſed cum iam adoleuerint, eos ex trudant nidis, ipſorumque vires periclitantes, libero cœli ſpatio volitare cogant. Certe haud vnquam deerit materia ad ſcribendum, etiã cum deerit. Etenim hæc ipſa minime mihi contemnenda, aut doctis viris inuſitata videtur materia: nihil habeo quod ſcribam, ideo non ſcribo. Cuius periſtaſes & adiuncta, ſi quis voluerit paululum circumſpicere, inueniet veriſsimũ eſſe, quod

dixi

diximodo. Elegãter & festiue Plinius. Olim mihi nullas epistolas mittis. Nihil est, inquis, quod scribam. At hoc ipsum scribe, nihil esse quod scribas. Vel solum illud, vnde priores incipere solebant, si vales bene est, ego valeo. Hoc mihi sufficit, est enim maximum.

Ep. 11. lib. 1.

Initium vetus epistolarum.

Epist. 8. lib. 4.

Et Cicero ad Att. Vbi nihil erit quod scribas, id ipsum scribito. Et rursum ep. 44. lib. 12. Tu mihi, etiam si nihil erit, quod scribas (quod fore ita video) tamen id ipsum scribas velim, te nihil habuisse, quod scriberes, dummodo ne his verbis. Diserte quoq;, & perquam venuste, vt semper, hac eadem de re disputauit Manut. ep. 13. lib. 1. quã ego epistolam iudicaui dignam esse, quæ hic ad verbum recitaretur,

Paul. Manut. Romulo Ceruino S.

Quod tu persæpe queri solitus es, id mihi nunc accidit, vt epistolæ prorsus caream argumento sed ego tamen nõ committam, quod tu soles, vt argumenti me inopia deterreat à scribendo. Quin vide, quam diuersa ratio sit: tu cum sententiam non habes, valde tibi ais laboriosum esse epistolam texere: ego numquam facilius soleo scribere

bere, quam cum nihil habeo, quod ſcribam. At inanes huiuſmodi literæ ſint neceſſe eſt. Primũ, hoc non ſemper: Quandoq; enim accidit, vt nihil dicentes, aliquid tamẽ dicamus: vt in fidibus eſt quædam manus aberratio ſine arte, in qua tamen ipſa ars ſit: ſic in epiſtolis argumentũ quandoq; eſt ſine argumento. Itaq;, non ſemper inanes huiuſmodi literæ: ſiquidem in ijs ſolet aliquid nonnunquam exiſtere, quod pondus habeat. Sed fac inanes eſſe: quid refert? non hoc ſpectamus, id ſequimur, vt exercitatione duce eo perueniamus aliquando, vbi ſita laus videatur eloquentiæ; quod ſi nobis tantum in hoc proficere non licet, vt veteribus illis quorum eſt puriſsima oratio, ſimiles eſſe poſſimus: at tentemus tamen, ſi poſsimus noſtris: qui inquinate loquuntur, diſsimiles eſſe. Quod, vt opinor, & multum, & ſæpe ſcribendo conſequemur. Ac noli putare, ſemper in eo nobis eſſe elaborandũ, vt philoſophemur in epiſtolis. Graues ſententiæ probantur, fateor: ſed nunquid hoc vno latina lingua continetur? me quidem Cicero noſter paulo minus interdũ delectat, de iocis cum agit, quam de turpi & honeſto cũ diſputat. vtrobiq; enim ſunt ornamenta: & vtrumque ſæpe neceſſarium eſt. Itaq; ad vtrunq; me do: teq; vt idẽ facias, etiam atq; etiam hortor. cumq; res non erit, de qua ſcribas: tum tu, ſi me audis, vel leuiſsima quæq; ex omni genere arripies, & ijs pro argumentis vtere. Hoc autem quatenus agas, aut cum quibus agas, tibi non præſcribo: cuius tanta prudentia eſt, quantam ætas iſta, qua nunc es capere vix poteſt. Summa ſit, vt & cum argumento, & ſine argumento ſæpiſsime ſcribas. Vale. Romæ.

Epiſt. ſine argumento non ſemper inanes.

κατὰ μοῖραν εἴπας.

SCHOLIA.

a Hoc parẽt entes in alendis educendiſque liberis imitantur: qui primum infantibus cibum præmanſum et confectum dentibus in os inſerunt: deinde

ſat

ſat habent, in manum dare: mox menſis tantum admouent: poſtremo dimittunt aliquo foras, vt ſuapte induſtria ipſi victum ſibi quærere, & quod dicit Plautus, ſine ſcirpe arate nare conſueſcant.

Conſuetudo Ciceronis. *Cicero ad Curion. li. 2. ep. 4. Quamobrem, quoniã mihi nullum ſcribẽdi argumentũ relictũ eſt, vtar ea clauſula qua ſoleo; teq́ ad ſtudiũ ſummæ laudis cohortabor. Vnde diſcimus quid faciendum nobis ſit, cum materia & rebus deficimur. Præterea cum argumẽtum deerat, ſiue cum nullum ſcribendi argumentum relictum erat, aliquid iocorũ attexebat Cicero. Hoc ex clauſula ep. 5. l. 6. intelligitur. Cupiebam mehercule longiorem epiſt. facere, ſed nec erat res de qua ſcriberem, nec iocari præ cura poteram.*

De Imitatione. Cap. LXII.

IMitatio quam Græci μίμησιν & ζῆλον appellãt, in omni facultate maximã vim habet, plurimumq; poteſt, qua, qui caret, recta & facili via caret, laboremq; nimis magnũ & non valde fructuoſum ſuſcipit in omnibus quæ agit. *Imitatio quid.* Eſt autẽ nihil aliud imitatio, quam diligens & artificioſa quædam mentis applicatio ad eas laudes adipiſcendas, quas in aliquo excellere arbitramur: vt eius quamſimillimi euadere poſsimus.

Hæc

Hæc præter artem & exercitatiónem
omnino eſt neceſſaria, illarumq; duarũ
rerum comes atq; ſocia. Immovero du-
bitari fortaſſe poſsit, cũ hæc tria ad be-
ne ſcribendum requirãtur, quod maxi-
me ex omnibus requiratur. Ars ſine ex
ercitatione nihil eſt: exercitatio ſine ar-
te manca eſt: imitatio quamquã ſine ar
te illa quidem, ſine exercitatione tamẽ
haud quaquam conſtare poteſt, exercet
enim ſe, quiſquis imitatur. vt igitur opi
fices non modo præcipiunt diſcipulis,
quo pacto verſent inſtrumenta, ſed etiã
ſe ipſos intueri laborantes & cõſidera-
re iubent, ſic nos, poſtquam artificium
epiſtolæ conſcribendæ tradidimus, ad
optimum pręſtantiſsimumq; artificem
ac magiſtrum intuendum adoleſcentes
mittemus. Cum enim imitari oporteat,
& hoc certo nihil magis certius ſit, vt lo
quitur Plaut. ſtultiſsimũ uidetur, ad imi-
tandum non optima quęq; proponere,
id quod Seneca & Quintil. aſſerunt.

Ars. Exercitatio. Imitatio.

Similitudo.

Scriptores igitur omnes latinos di-
ligenter volutandos, & accurate ſtu-
dioſeq;

Scriptores omnes legendi, ſolus Cicero imitandus.

dioſequelegẽdos uetat doctus nemo:
Laus Cicerõis. preter Ciceronem quemquam ullum imitandum, nemo quoq; paulo doctior ſuadet: a quo reliquis omnibus, vt à ſole ſtellis acceſsit, cui nihil â cæteris allatum eſt: ad quem reliqui ſeſe effinxere: qui nullius auctoris latini imitatione uſus eſt, ſua ſponte omnibus numeris abſolutus atque perfectus: reliquis omnibus maior, nullo neq; Greco, neque Latino inferior: ad cuius imitationẽ contendere præſtantius ſit, quam reliquorum eloquentiam ſuperare illuſtrius. Certe ſi aliȷs operam dandam, aut horas aliquot tribuendas
Reliqui ſcriptores quare legendi. adhorter, his nominibus adhortabor. Primum, vt, quid à Cicerone tum verborum tum ſententiarum vel ſumant, vel ſurripiant, vel mutuentur, deprehendamus: & ad illius imitationem alacriores reddamur, â quo magni etiã nominis ſcriptores multa ſumere perſpiciamus, Deinde vt, quemadmodum
Simile. qui de recta declinant, ubi in deuia aliquantũ aberrarint, & per ſalebroſos mi

nimeq;

nimeq́ planos locos iter languentes fecerint, optatius in viam redeunt, atq́ rectà ambulant attentius: sic per omnia auctorum scripta satis prima ætate divagati, errore tandem percepto, nos ad Ciceronem cupidius recipiamus, totosq́ conferamus. Postremo, vt, sicut obtusum quotidiani cibi suauitate palatum, aceto, aut acerbiore aliquo iure irritamus, gustatuique consulimus, ita assidua Ciceron. lectione contractum, si quod contrahi potest, fastidium, auctorum crudiorum acerbitate depellamus: aut quasi oscitantes, & obdormientes, iniucundo aliorum scriptorum strepitu, & murmure excitemur, ac noua relicta voluptatis, id est, intermissæ Ciceronianæ lectionis cupiditate gestiamus. *Simile.*

[a] Angelus Politianus alioqui disertissimus, & ingeniosissimus vir, qui illam Ciceronianæ dictionis ideam consequi se posse desperaret, epistol. 1. lib. 1. vide, quam impudenter scripserit: de Cicerone prorsus silendum esse in

Politianus insectatus est Ciceronianos, qua de re in Auctario huius libri.

epiſtolari ſtylo. Edita quoq; epiſtola ad Paulum Corteſium, Ciceronianam imitationem contempſit: cuius ratiunculas leues illas & ineptas, non indocte idem Corteſius alia epiſtola, qua calũniatori reſpondet, refutauit. Legimus eruditi cuiuſdã libellũ, qui magnopere dolet, ſe adoleſcentem olim Politiano propter ſubtiles & argutas ſentẽtiolas, & quoſdam floſculos nimium ad hęſiſſe. Inde ſe aridiorem factum cum natura parum vber eſſet, mox inanes illas argutiolas dediſcere debuiſſe. Senex iam M. Tullium in oculis fert, quẽ ſolum ex omnibus imitandum iudicat, & cuius ipſe propter affectam ætatem omnem ſpem abiecit, ad illud alios cohortatur. Alius Senecã puer triuerat, Senecam dico Philoſophum, Cicero ei minus arridebat, quem tamẽ iam grandis natu, quaſi aliquod numen veneratur. Eſt Belga quidam, cætera ſane doctiſsimus, hac vna in re minus ſapiens, qui in ſcribendis epiſtolis Plautum ſe imitari velle palam profitetur,

Belgæ iudicium.

non

non Ciceronem, immo, ne mentiar, Ciceronem, sed in orationibus. Suum vero Plautum in illis epistolicis quæstionibus graphice imitatur, & est, idquod voluit, in epistolis comicus.

SCHOLIA.

In sinu gaudent quidam, & se beatos putant, quoties in orationibus, epistolis, & libris suis non modo Ciceroniana verba, & locutiones, hoc enim licet, & magno honori est, sed etiam versiculos integros, immo periodos ita poßint intexere, vt ad rem declarandam nihil dici potuisse magis appositū, & ex ipsorū arculis profecta pigmenta videantur. Hoc ipsi putāt imitari. Quorū puerilem errorem nolo nunc pluribus reprehendere: tantummodo in medium proferam, quæ apud eximium oratorem Romulum Amàsæum, Schola secunda de ratione & ordine studiorum, suauiter posita nuper inueni. Ea est, inquit, recta & grauis in dicendo antiquorum imitatio, vt quemadmodum illi dixerint, nobis dicenda putemus. Nam sicuti mella apes è tam multis floribus ita conficiunt, vt longe aliud illa, quam flores esse videantur: atque vt in animantium corporibus succus & sanguis aliam longe speciem præseferunt, quam illa vnde emanarunt ciborum genera: sic à veteribus

Peruersi imitatores.

dicendi formula sumenda est, vt nostrum tamen esse quicquid ex ea fuerit expressum videatur. De eo quidam eruditorum hoc modo: Politianus parum liberaliter facit, qui videtur ideo deterrere alios ab imitatione Ciceronis, quia cum se natura ad aliud dicendi genus deduci intelligeret, iudicio videri voluit id, quod ipse consecutus non esset improbare.

De emendatione epistolarum. Cap. LXIII.

Donatus in vita P. Virg.

QVi suo fœtus libenter & sæpe lambunt, hoc est, scriptiones suas diligenter emendant & expoliunt, quos limæ labor & mora non offendit, hi quantumuis ingeniosos, parum tamen sedulos anteuertunt. Verum emendatio, de qua loquimur, est potius magistri quã discipuli, qui cum epistolam à se conscriptam attulerit, ac-

Quomodo tractandus discipulus.

cipiendus est humaniter, legendum quod scripserit non cursim, sed tarde & cum iudicio. Consideranda omnia, reprehendenda vitia inprimisq; solæcismi & barbarismi, nec tamen omnia

statim,

ſtatim,ne,ſi tam multa ſe peccaſſe vide-
at, frangatur eius ſpes & debilitetur in
duſtria, illudq́; ipſum quod facit, ode-
rit, & dum nihil nõ timet, nihil audeat,
nihil conetur. Agricolæ teneris frondi Similitudo.
bus falcem non adhibẽt, ſed vncis ma-
nibus, vt eſt apud poëtã, eas carpunt:
ſtirpibus iam cõfirmatis, ferro vtũtur.
cæterũ, quia is locus ſimilitudine qua-
dã magiſtrum docebit, quo pacto diſci-
pulum tractet, eum placet totũ afferre. Virg. 2. Georg.

Ac dum prima nouis adoleſcit frondibus ætas,
Parcendum teneris: & dum ſe lætus ad auras,
Palmes agit laxis per purum immiſſus habenis,
Ipſa acie falcis nondum tentanda, ſed vncis
Carpendæ manibus frondes, interq́; legendæ.
Inde vbi iam validis amplexæ ſtirpibus vlmos
Exierint, tunc ſtringe comas, tunc brachia tonde.
Ante reformidant ferrum, tunc deniq́; dura
Exerce imperia, & ramos compeſce fluentes.

Ne vero aſpera multorumq́; verbo-
rum & cum toruitate vultus coniun-
cta, ſed blanda & breuis ſit reprehen-
ſio. Interdum collaudetur adoleſcen-
tis ingenium, quædã eleganter & ſcite
elata ſigillatim cõmendentur: ſublectę

aliunde ſententiolæ, affectatæ quædam locutiunculæ aliquandiu diſsimulentur, paulatim tamen indicentur, vt ne vitioſa conſuetudo, quæ altera natura eſt, contrahatur. Vbi robuſtior & exercitatior fuerit, tum magiſter liberius & pro ſuo iure aget. Si quod verbum durius, ſi ſordidius, ſi hiulcum aut alieno loco poſitum, ſi oratio parum apta & cohærens, ſi quid prætermitum, ſi quod argumentum futile allatum, ſi quid furto alicui ſcriptori ſurreptum, denique ſi quid languidius dictum, ſi verboſius, ſi contractius, illud ipſum notabit, tranſuerſoque calamo ſignum allinet atrum, vt ait Horatius. Delere, mutare, dilatare, aſtringere, vincire, illuſtrare, mollire, ornare iubebit, & quomodo id fiat, oſtendet, ne alium docere videatur, quod ipſe neſciat. Semper autem bene ſe ſperare ſignificationem det, nec vnquam ita emendet epiſtolam, vt non etiam commendet diligentiam in aliqua ſaltē parte, v. g. in vno ſermonis puritatem, in

aliĳs

alijs perſpicuitatem, in quibusdam acumen, in nonnullis diſpoſitionem. Hac ratione, cum partim laudarit, partim reprehenderit diſcipulum magiſter, efficiet, vt neq; deſperet ille de ſe, nec alium facile deſpiciat: & æmulatio inter condiſcipulos excitabitur, dum quiſq; alterius laudem ſibi concupiſcet.

SCHOLIA.

Hoc quoq; nonnunquam proderit. poſtquam annotarit, quid in ſcriptis puerorum placeat, quid diſpliceat, quid bene, quid male poſitũ videatur, exemplum eadem de re vel à ſe ſtudioſe elaboratum, vel ex auctore aliquo ſumptum proponere, quod imitentur pueri, & ad quod ſua corrigant, & quaſi eliment. Neque pigebit in marginibus aut voce quid ipſe ſit ſecutus admonere. quo in eo perinde vt in ſpeculo videant, quid ipſos ſuffugerit, quid aſſequi nequiuerint, vbi dormitauerint, aut cæcutiuerint. Sunt autem vitia, quæ præceptoribus in adoleſcentibus diſplicere non debent, velut, ſublimior ſpiritus, & verborum luxuries quæ-

Vtile Præceptum.

Nota.

dam. Cic. 2. de Orat. Volo enim se efferat in adolescente fæcunditas. Nam facilius, sicut in vitibus, reuocantur ea quæ se nimium profuderunt, quam si nihil valeat materies noua sarmenta cultura excitantur: ita volo esse in adolescente, vnde aliquid amputem. Non enim potest in eo esse succus diuturnus, quod nimis celeriter est maturitatem consecutum.

De optimis epistolarum scriptoribus. Cap. LXIIII.

M. Tullius Cicero.

DEgręcis in pręsentia silebo; de latinis dicã, & ex antiquis de solo Plinio & M. Tullio, cuius tot libros epist. perijsse dolendum est maximopere: quantas enim orationis latinę opes simul amiserimus explicari nõ potest. Multæ tamen diuino beneficio ad hunc vsq; diem cõseruatæ leguntur, ad Famil. ad T. Pompon. Att. ad Q. Fratrem, ad M. Brutum. Ex his primum ad Romanæ orationis elegantiam informamur, ex his primus eloquẽtiæ quasi succus (qui qualis initio fuerit permagni interest) ebibitur. In his pręter verba et dictionẽ quibus ille vir cęteros omnes scriptores tanto post se interuallo

Manut. præfat. in epist. ad Famil. Ludoui. Viues. Rhodogin. lib. 6. ep. 17.

lo reliquit, plurimũ ineſt, & ad res publicas, & ad priuatas iudicij ac prudentiæ. Sed poſt extremum huius libri caput multo plura de epiſt. Tullianis.

Plinius Secundus minime redundans, cui nihil demere poſsis, plenus tamen, acutus, frequens, continuis ſententijs, doctis atq; ingenioſis mirifice aptus qui ſcholaſticas inter ſe & vmbraticas mittũt epiſtolas, quibus oportet plus ornatus & cõdimentorum adiungi, quando rebus non perinde nituntur. Multum habet neruorum, acriter concludit, & ſuauiſsime premit. In deſcriptionibus rerum mirificus eſt, ſubitus & extemporaneus videtur, cum ſit elaboratiſsimus, omninoq; in M. Tullio plus naturæ, in hoc plus diligentiæ videtur extitiſse, nec ulla videtur melior eius epiſtola, quam quæ eſt longior.

Plinius Secundus Vide. Lud. Viuem. & Cataneum præfat. cõment. in Epiſt. Plinij.

Quod in oratore perfecto M. Tullius veriſsime affirmauit, nullam eſſe vllo in genere laudem oratoriam, cuius in orationibus ſuis non eſſet aliqua, ſi

Paul. Manut. Aldi.F.

non perfectio, at conatus tamen atque adumbratio, idem ego propemodum de Paulo Manutio, magna cũ eorum, qui politioris humanitatis ſtudia perſequũtur approbatione mihi videor affirmaturus; nullam ſcilicet eſſe laudem epiſtolicam, cuius apud ipſum non ſit vel perfectio vel adũ bratio. Nam quæ nota & forma orationis epiſtolarum maxime propria cenſetur, ſubtilis nimirũ ſiue tenuis, eam perpetuo fere cuſtodiuit, & illas ſic elaborauit, vt tamen elaboratæ & artificio quodam ſcriptæ non videantur: ineſt in eis cultus ſine cultu, & diligens quædam negligẽtia, & cum lucernam non oleant, nihil tamẽ minus olent quã hircum: qua de re à iuſtis ſcriptionũ iſtius modi æſtimatoribus dubitari non poteſt. Ita porro ſcribit, vt τὸ ἠθικὸν ſatis ſuperque aduertas, mores, naturam & ingenium ſuum prorſus exprimit, eſtque omni genere ſuauitatis & humanitatis affluentiſsimus. Breuitatem vbique ſectatur, & longitudinem, quam graues au-

ctoris

ctores ab epistolæ ratione & legibus alienam esse opinantur, studiose fugit. Materiam non reconditã aliquam, obscuram, sophisticam, aut à vulgari hominum intelligentia captuque disiunctam (in quo vno multi peccauerunt) sed apertam, communem, è vita humana sumptam tractat. Illecebras multas habet, quæ nostrum in legendo studium irritare, & irritatum retinere possint. Nec ullum video (pace aliorum dixerim) qui ætate nostra scribendis epistolis cum Paulo Manutio ex ęquo comparetur, quiquë ad illam M. Tullij præstantiã propius accesserit. Quamobrem hortor adolescentes, vt post Ciceronem & Plinium libenter ac sæpe huius eloquentissimi viri epistolas legendas sibi putent, & non modo illorum, verum etiam huius lectione orationem suam coloratum iri certo sibi persuadeant.

Sed forte quærat aliquos cum solet

Obiectio. ſolum Ciceronē nobis imitandum ſupra docueris, cur tu iſtos laudas? quia etiam eorum qui ad Ciceronem ſcripſerunt, epiſtolas legimus, de quibus tamen imitandis non cogitamus, linguā enim & quandam in hoc genere ſcribēdi facilitatem ſpectamus. Vt igitur tanquam bonos Epiſtolarū ſcriptores legeremus, idcirco eos collaudaui. Sic Poetæ bonos poetas legunt, non tamen omnes quos legunt, continuo imitari volunt, & ſi orationes Q. Hortenſij, L. Craſsi, aut M. Antonij extarent, legeremus eas, ipſos tamen nō imitaremur. Quod ſi aliqua ex parte etiam iſtos ipſos imitari voluerimus, quia illi (Manutius præſertim) Ciceronem imitari voluerunt, non vituperauerim, quia ſic in noſtra ſententia nihilo minus permanetur.

SCHOLIA.

Chriſtophorus Longolius vulgo ſummus orator, & epiſtolarum ſcribendarum peritiſsimus fuiſſe iudicatur, vt eum videri poſſim omittere non debuiſſe. Omiſi tamen, quod illum à pluribus, & doctiſsimis qui-

quidem vituperari, à paucißimis laudari viderem. Ac nequis mihi affirmanti credere dubitet, legat Paul. Manut. ep. 4. lib. 1. Ludo. Viuem de conscrib. ep. M. Anton. Maiorag. Comment. in orat. perf. sub finem. Bartholomæus Riccius de imitat. lib. 2. & 3. & alius quidam acerrime ipsum tuentur, plurimúq; laudant. Ego Virgilianum illud vsurpo.

Non nostrum inter vos tantas componere lites. Eclog. 3.

Bembum & Sadoletum preteriui non quia contemnerem tantos viros. Minime. Sed quia tēpus admodum breue est ad legendum, & quia optimi quiq; non modo legendi, verum etiam conterendi sunt à nobis. De Politano dictum est, & dicetur amplius in extremo libro. Nam qui mihi Ciceronem contemnit, cur ego ipsum vlla laude impertiendum existimem?

Multum referre, quo tempore, & à quo reddantur literæ. Cap. LXV.

M. Tullius ep. 16. li. 11. ad famil. Lamiam equitē. R. qui Prætuiram petebat, Bruto Imp. commendaturus, ita exorditur. Permagni interest quo tibi hæc tempore epistola reddita sit, vtrum, quum solicitudinis ali-

aliquid haberes, an quum ab omni molestia vacuus esses. Itaq; ei præcepi, quē ad te misi, vt tēpus obseruaret epistolæ tibi reddendæ, nam quemadmodū corā qui ad nos in tēpestiue adeunt, molesti sæpe sunt: sic epistolę offendunt, nō loco redditę. Si autem, vt spero, nihil te perturbat, nil impedit, & ille cui mandaui, satis scite et commode tempus ad te cepit adeundi: confido me quod velim, à te facile impetraturū. Hoc, quod ille de vna scripsit, verum est cū in facetis maxime, tum in plærisq; alijs epistolis. Huius autem rei rationem haberi diligentē, Horatius quoq; voluit, qui Vinnium Assellam sic alloquitur,

Epist. 13. lib. 1

Vt proficiscentem docui te sæpe diuq;,
Augusto reddes signata volumina Vinni:
Si validus si lætus erit, si deniq; poscet:
Ne studio nostri pecces, odiumq; libellis
Sedulus importes opera vehemente miuister.

Iterum ad Augustum scribens,

Ep. 1, lib. 2.

Multa quidem nobis facimus mala sæpe poëtæ,
(Vt vineta egomet cædam mea) cum tibi librum
Sollicito damus aut fesso &c.

Pari

Pari modo Byblis aqud Nansonem, *Metamorph. 9*

Forsitan & missi sit quædam culpa ministri.
Non adijt apte, non legit idonea (credo)
Tempora: nec petijt horamq; animũq; vacantem.
Hæc nocuere mihi.

Et alibi suum librum alloquens, quem adire Augustum Cæsarem cupit.

1. Trist. eleg. 1.

Si poteris vacuo tradi, si cuncta videbis
Mitia, si vires fregerit ira suas.

Ex his quę hactenus attulimus, aliquot præceptiunculæ siue cautiones colligãtur. Ne reddantur ep. sollicitis ac perturbatis, sed quietis et molestia vacuis, nõ vehementer impeditis, sed modice occupatis, aut etiã otiosis, non ęgrotis sed valentibus, non mæstis sed lætis, & presertim flagitantibus ipsas literas, nõ fatigatis & languẽtibus, sed firmis & à labore integris &c. Illud nihil ominus, vt in omni re alia, sic in ista plurimum semper valet: necessitas nõ habet legẽ. *Præceptiones de litteris opportune reddendis.*

Et quomodo permagni inter est quo tempore reddatur epistola, ita non parũ refert, à quo reddatur, hoc est cuius

nam

nam ſit epiſtola, quã tabellarius affert. Cicero quidem certe, cum illi multæ multorum epiſtolę, propter ſummas in ad miniſtranda Repub. occupationes intempeſtiue reddi potuerint, de Attici epiſtolis, ad eum ipſum ſcribẽs, affirmat, nullam earum in tempeſtiuam viſam eſſe. Sic etiam cum multæ illum loquacitate ſua offendere potuerint, nullam ab Attico ſcriptam viſam ſibi loquacem teſtatur, vno eodemq; in loco, nempe ep. 13. li. 4. his verbis. Nunquã enim mihi tua epiſtola intempeſtiua aut loquax viſa eſt. ſic alibi, cum ſcripſiſſet Attic. ſe vereri, ne eſſet ἀδολεσχος, (quæ vox græca valet idem quod latina illa, loquax) reſpondet. Quis minus? cui, vt Ariſtophani Archilochi iãbus, ſic epiſtola tua longiſsima quæque, optima videtur. Atq; idem Volumnio, de illius ad ſe literis ꝓfitetur. quum enim ille ſcripſiſſet, ſe veritum eſſe, ne perinuitus legeret Cicero eius literas, ſi longiores forte miſiſſet: rogat illum, vt ſic ſtatuat, eius literas longiſſimas

Ep. Attici M. Tullio ſemper gratiſſimæ.

quaſq́, gratiſsimas ſibi futuras. Ergo hominum nobis amiciſsimorum chariſsimorumq́ epiſtolæ, nunquam non reddentur opportuno & ſuo tempore, nec vnquam erunt nimium longæ, nimium breues ſæpe.

Antiquorum conſuetudines circa epiſtolam. Cap. LXVI.

Ex comment. Pauli Manutij in epiſtolam I. libr. III. ad Q. Fratrem.

INteriorem epiſtolam exiſtimo vocari, non eam epiſtolæ partem, quę à principio & à fine pari diſtet interuallo, ſed eam, quæ ab extremo propius abſit, quam à principio. Id adeo cognoſcetur, ſi, quod apud antiquos epiſtolæ claudendæ genus eſſet, oſtendemus. Non enim tunc eo quo ſolemus, modo complicabantur, ſed in orbem inuoluebantur epiſt. ita, vt, quæ

Epiſtolæ olim non complicabantur.

vltima ſcripta in pagina pars erat, in volueretur prima: quæ prima, vltima. Itaque proprie volumen vna epiſtola & erat, & dicebatur. Idq; Ciceronis teſtimonio comprobatur: qui ad Appiũ ſcripſit his verbis: Volumen à te plenum querelę iniquiſsimæ reddiderũt. Et infert: eadem epiſtola petebas. Morem eundem video teneri ab ijs, qui ſcriptum pretio faciunt: quos vulgo notarios nominant, ſcribas antiqui appellabant. Quod enim hædinis vitulinisué ſcripſerunt in pellibus, id ita contrahunt, & quibusdam quaſi ſpiris ipſum in ſeſe conuertunt, vt inuolucrum efficiant: neue ſua ſponte laxetur, circumducto eiuſdem pellis quaſi vinculo, aſtringunt. Eadem erat olim forma litterarum. Hoc amplius: ne à tabellariis aperiri poſſent, [a] impreſſo ſuo quiſque ſigno cauebat. Inde literarum faſciculus nomen ſumpſit: quod, vt coniunctæ conſtrictæq; virgę faſcis eſt, item litterę à tabellarijs in vnum, quaſi virgæ in faſcem coniectæ, colli-

Epiſtola volumen.

Signa imprimebantur.

colligatæq; quodãmodo faſcis exigui formam præſe ferrent. Proprie igitur volumen de re in orbem collecta, vt de epiſtola, de faſce: improprie de re non orbiculata, vt de libro. Tametſi olim apud priſcos illos, de libris quoq; proprie. Scribebatur enim in libris, vnde nomen ſumpſerunt, hoc eſt, in codicibus arborum: iiq;, quo eſſent ferentibus commodiores, conuoluebantur. Quod autem Cicero dixit, Altera iam pagella procedit, in epiſt. ad D. Brutũ, fam. lib. XI. non de ipſa ep. quã poſtea miſit, ſed de exẽplo, quod in codicillis tunc exarabat, intellexit: in quibus vnã iam pagellam totam, alterã non totam, ſed magnã partem ſcribendo impleuerat. Non enim, cum ita dixit, ſcripſiſſe eum in charta verſimile eſt: cum illius epiſtolæ breuitas ea ſit, quæ nec vnius, quantumuis anguſtæ paginæ locum, ſi de charta cogitemus, nedum vnius & alterius, tenere potuerit. At in codicillorum pagellas, quæ contractæ admodum erant, optime conuenit. Quod ſi

Libri olim volumina.

Altera pagella procedit.

Codicilli ad quos mitterentur.

cui fieri posse videatur, vt ipsos ad Brutum codicillos Cicero miserit: negabo. Nam codicilli ad eos tantum, qui iisdē, aut certe minime longinquis in locis essent, mittebantur: quod exempla declarant, vt in proximo libro, & fam. epist. 12. lib. 4. ad Brutum vero, tam longe remotum, Celticam Galliam pro Consule administrantem, codicillos dare, cuius ineptiæ fuisset? Nam ne ad Papirium quidem, qui neq; prouinciæ præerat, vt Brutus, & multo, quam ille, propius aberat, hominem sibi familiarissimum, codicillos tamen Cicero mittendos putauit, sed epistolam è codicillis descriptam. fam. ep. vlt. lib. IX. Neq; vero mirandum est, in literis, quas inuolui solitas dixi paginas interdum nominari: quod ab orbiculata inuolucri forma satis alienum videri potest. Nihilo enim minus inuoluebantur, quæ pluribus paginis literæ, quam quæ vna tantum pagina scriptæ fuerant: cumq; omnes eodem modo inuoluerentur; ideoq;, si forma spectare-

tur

tur, itidem omnes volumina poſſent appellari: vſitatius tamen erat, vt longioribus de literis, quę plures haberent paginas, voluminis vocabulum vſurparetur: idq; ſatis patet ab exemplis. Audiuimus adhuc eruditum patrem, nunc ſimilibus de rebus diſſerētem audiamus, ſi placet, eruditum filium.

Volumen quando diceretur epiſtola.

Ex lib. III. de quæſitis per epiſtolam, Aldi Manut. Pauli F.

NOn eodem modo libri apud veteres, & epiſtolæ ſcribebantur: libri enim pluribus paginis conſcripti, circa lignum, aut aliquid oſſeū, vt ait Porphyrio, vel corneum, teretis formæ, inuoluebantur, id appellabant vmbilicum: quod, vt vmbilicus in medio ventre, item illud, libro iam circum inuoluto, mediū. Extremæ partes à ſimilitudine vocabantur cornua, vt multis poëtarū exemplis intelligitur. Epiſtolæ autē nec ſemper vna, pluribuſue

Libri & epiſt. diuerſo modo. ſcribebantur.

Ouid. eleg. 6. lib. 4. Trist. quoties alicui chartæ sua uincula dempsi.

conſcribebãtur paginis: nec inuoluebantur. Complicatis, linoq́ꝫ transiectis, qui mercatorum hodie mos eſt, annulus imprimebatur. Obijcietur illud, ep. 7. lib. 3. fam. Appiani mihi volumen à te reddiderunt. Quod de vna epiſtola dictum eſſe, eo conſtat, quia ſequitur. Eadem epiſtola petebas. Sed volumen dixit Cicero, non de inuoluta epiſtola, ſed de longiſsima, quæ voluminis inſtar eſſet. Quodſi epiſtol. conſeruari opus eſſet: alia ratio erat. tunc enim nõ complicabantur, ſed inuoluebantur: quotque epiſtolarũm libri, tot volumina fiebant. Vnde illud ad Tironem, epiſt. 17. lib. 16. Video, quid agas. tuas quoqꝫ epiſtolas vis referam in volumina. Et ad. Att. epiſt. 30. lib. 12. Euolui volumẽ epiſtolarum tuarum. Ad Cornificium autẽ ep. vltima li. 12. cum ſcripſit. Non te epiſtolis, ſed voluminibus laceſſerem: non de multis epiſtolis dixit, ſed de longiſsimis, quæ volumen ſingulare conficere poſſe viderentur. Plinius etiam ſingulos hiſtoriæ ſuæ libros

Volumen.

bros volumina appellat lib. 18. cap. 13. cap. 25. cap. 26. cap. 32.

Nunc dicendũ aliquid eſt de pagellis epiſtolarũ. Latitudo non omnium eadem erat: quod Plinij teſtimonio cõprobatur: qui li. 13. cap. 13. maximam latitudinem ait fuiſſe tredecim digitorum. Id Cicero ipſe fam. ep. 13. lib. 11. ad Cælium ſignificat. ait enim: extrema pagella pupugit me tuo chirographo: cum tamẽ eæ Cęlij litteræ, quibus Cicero reſpondet, quarum libr. 8. initium eſt. Non dubito, ſatis longæ ſint. Idem libr. 12. ep. 25. ad Brutum, dixit in extremo: altera iam pagella procedit. Nec tamen tota illa epiſtola, quam non cæperat vna pagella, quartam illius Cælianę partem æquat. ergo hæc, qua ſcripſit Cicero ad Brutum, anguſta pagina: illa vero latior, qua Cælius ad Ciceronem. *Pagellæ epiſtolarum.*

Quæri etiam poteſt, ab vna tantum parte, an vtrinq; ſcriberentur epiſtolarum & librorum paginæ. Vtrinq; nõ puto, quod vel vnico illius ad Brutum *Ab vna ſolum parte ſcribebant.*

epiſtolæ argumento cognoſcitur, cuius proxime facta mentio eſt. Nam ſi anguſtam eam pagellam fuiſſe conſtat, quæ tantulam epiſtolam non cæperit; quãto anguſtiorem fuiſſe neceſſe eſſet, quæ vtrinque ſcripta tamen non ſufficeret:

SCHOLIA.

a Ouid. 5. Triſt. eleg. 5.

nec qua ſignabar ad os eſt
Ante, ſed ad madidas gemma relata genas.

Conſueuiſſe Romanos obſignare litteras, ex multis locis epiſtolarum M. Tullij ad Att. ſatis apertum eſt. Ait porro 6. Verrin. Quum Valentio eius interpreti epiſtol. Agrigenti allata eſſet, caſu ſignum animaduertit in cretula. & orat. pro Flacco. Hæc quæ à vobis prolata eſt laudatio, obſignata erat creta Aſiatica, qua vtuntur omnes in priuatis & publicis litteris. E quibus verbis colligitur qua materia ſolitæ ſint obſignari litteræ. qua vtrum Romani quoq; vſi ſint, an ceram, an aliquid aliud adhibuerint, incertum eſt. per cretam vero Aſiaticam intelligo materiam argilloſam, candidam & tenacem. In diplomatis & decretis Imperatorijs honoris & auctoritatis cauſſa appenduntur, ſiue imprimuntur ſigna, in alijs vero vtilitatis cauſſa & neceßitatis.

Porro

Porro de varietate signorum & imaginum, quibus antiqui in literis vterentur, quædam non iniucunda notauit Muret. explicat. in 3. Catilin. ad illa verba M. Tullij. Est vero, inquam, signum notum, imago aui tui. Veteres, inquit, vt nunc quoq; fit, in annulis signatorijs, quas cuique libitum erat, imagines exprimendas curabant. Sæpißime tamen imagine alicuius præstantis viri in signando vtebantur. Sylla dictator traditione Iugurthæ semper signauit. Intercatiensis quidam, cuius patrem Scipio Æmilianus ex prouocatione interfecerat, cum hoc ipsum sibi gloriosum duceret, quod pater suus cum tanto viro dimicans, interfectus fuisset, signasse postea dicitur eius pugnæ effigiæ: vulgato Stilonis Præconini sale, quidnam fuisse facturũ eum, si Scipio à patre eius interemptus esset. Scipio superioris Africani filius, imagine patris sui. Diuus Augustus primo sphinge, mox imagine Alexandri Magni, postremo sua, quam expresserat Dioscorides, atq; hac etiam insecuti principes signare perseuerauerunt. Mæcenas rana. nostris temporibus, Vigilius Zuichemus, præstantißimus Iurecos. Pallade signauit. Vidi aliquot Erasmi epistolas, quæ omnes signatæ erant Termino, additis duabus vocibus, Nulli cedo: non sine suspicione arrogantiæ. Sic iste P. Lentulus Sura magine aui sui, viri clarißimi in signando vtebatur.

Dicet quispiam: si obsignabantur epistolæ, cur

igitur ep. 10. lib. 1. ad Att. scripsit Cicero: quibus epistolis sum equidem à te lacessitus ad scribendum: sed idcirco sum tardior, quod non inuenio fidelem tabellarium? Verum in eadem epistola, hæc verba sequuntur: sed nō committendæ eiusmodi periculo, vt aut interire, aut aperiri, aut intercipi possint.

De Codicillis. Cap. LXVII.

Paul. Manut. comment. in ep. X. lib. II. ad Q. Fratrem.

CODicilli erat genus scriptorum in ceratis tabulis, quo veteres vtebantur, vbi properanter aliquid ac breuiter, quod instar epistolæ non esset, exarare cogitarent: vt apud amicum in cæna, foris, in itinere, vel naui, si charta præsto non esset. Dabant deinde amanuensi, vt descriptæ inde litteræ mitterentur. Interdum etiam ipsos mittebant codicillos, quod hæc ipsa ad Quinctum epistola perspicue probat. Non missos, verba illa ad Papirium demonstrant: Accubueram hora nona, cum ad te harum exemplum in codicillis exaraui. Ald.

Ald. Manut. Pauli F. libr. III. de quæſit. per epiſtolam.

CODicillorum vſus antiquiſsimus fuit iam ante chartam inuẽtam. Itaq; ſcripſit Homerus Iliad. lib. 6. Bellerophõti in Lycia codicillos eſſe datos. Quo argumento, nondum eo tẽpore inuentam eſſe chartam, Plin. lib. 13. cap. 13. probare conatur. Etſi aliter ſentire videatur eiuſdem lib. cap. 2. qui chartam Alexandri Magni victoria repertam, cõdita in Ægypto Alexãdria, ſcribit. Codicilli autem dicti, à caudicibus, id eſt, arborum libris: plures enim ligneæ tabellæ glutino iungebantur, item vt iunguntur hodie noſtrates libri. Sed ante quam in arborum libris, palmarum in folijs eſſe ſcriptum, idem Plinius auctor eſt, eodem libro, & eodem cap. & hæc ſubiungit: publica poſtea monumenta plũbeis voluminibus, mox & priuata linteis confici cępta, aut ceris. Pugillarium enim vſum fuiſſe etiam

Codicilli vnde dicti.

In palmarum folijs ſcribebatur.

etiam ante Troiana tempora, inuenimus apud Homerum. Quibus verbis pugillaria significat codicillos esse, id est, tabellas cera illitas in quibus pungendo, stilo impresso, scriberetur: vnde pugillaris nomen. Verum, etsi ante chartam fuere, post eandem tamen inuentam mansere codicilli, commodi scilicet caussa: quoniam vbi charta & atramentum non adesset, vt in itinere, in cæna, codicilli stylo scripti mittebãtur. Itaq; Cicero fam. epist. 18. libr. 6. Quęsiui, inquit, è Balbo, per codicillos, quid esset in lege. & Sulpicius epist. 12. lib. 4. Puer Acidini mihi obuiam venit, cum codicillis. Interdum ipsi codicilli non mittebantur, sed scribebatur in ijs, quod in chartam deinde translatum mitteretur. Propterea, harum exemplum in codicillis exaraui, ait Cicero. lib. 9. fam. ep. vltima.

Vnde pugillares.

D. Hieronym. epist. 42. ad Niceam.

Rudes

RVdes illi Italiæ homines, quos cascos Ennius appellat, qui sibi vt in Rhetoricis ait Cicero, ritu ferino victum quęrebant, ante chartæ & membranarum vsum, aut in dolatis é ligno codicillis, aut in corticibus arborum, mutua epistolarum alloquia missitabant. Vnde & portitores earum tabellarios, & scriptores à libris arborum, librarios vocauere.

De Inuent.

Tabellarij Librarij.



DE

DE PRÆSTANTIA & fructibus epistolarum M. Tullij Ciceronis, totiusq; operis epilogus.



AXIMOPERE AMEMVS & commendemus licet maiorum nostrorum verissimum plane rectissimumq; iudicium, qui instituerunt, vt adolescentibus ad latinæ linguæ candorem, copiam, suauitatem, atq; adeo ad ipsam, qua nihil est neque formosius, neq; præstantius, eloquentiæ pulchritudinem ac nobilitatem progredientibus, epistolæ vnius M. Tullij in Gymnasijs à doctoribus exponerentur ante omnia. Inde siquidem percipitur quasi gratissimus quidam gustus latinitatis & facundiæ quam ipsi quærunt, quamq; postea in hoc admirabili diuinoq; auctore cũ ingenti lætitia & voluptate, tanquam preciosissimos vniones atq; thesauros sunt reperturi. Ex epist. Tullianis ad Romani sermonis cultum, nitorem, elegantiam erudimur: ex his primum veluti succum, & illum incorruptũ eloquentiæ sanguinem haurire asuescimus.

Verumenimuero quoniam nemo nec plures, nec meliores effecit epistolas, rem hoc summo ac perfecto Oratore dignam, vobis literarum studijs dediti adolescentes, non mediocriter fructuosam, nostro etiam libro institutoq; consentaneam faciemus, si virtutes illarum propius inspexerimus. Meo quidem animo nulla in ijs à quoquam, qui iustus velit esse rerum æstimator, desiderari potest. Etenim quam primariam videri laudem epistolæ dulcis sane ac eruditus scriptor Demetrius Phalereus docuit, vt sit nimirum effigies & imago quædam nostræ mentis, nosq; ipsos penitus velut in tabella depictos repræsentet, plenaq; sit humanitatis & blanditiarum, eam

Prima laus epist.

certe

certe cumulatam, potiſsimum in illis, quæ ſunt ad T. Pompon. Atticum, & Q. Fratrem inueniemus: Atticum enim præ omnibus aliqua ſecum neceſsitudine & familiaritate colligatis proinde vt chariſsimum fratrem, immo pluſquam fratrem, & tanquam alterum ſe ardentiſſime dilexit. Quid quæſo illis præſertim ad Lentulum humanius, beneuolentius? quid illis ad Memmium alioſque officioſius & blandius? ad Terentiam tenerius ac mollius? ad Tironem ſuauius & dulcius fingi excogitariq; poteſt? quam multa ad legendum inuitamẽta? quanta declaratio amoris? quanta ſtudij? quanta voluntatis?

Cicero humaniſsimus & leniſsimus.

Præterea cum tam ſæpe alios ab aduerſis caſibus grauiter afflictatos conſolatur, nonne perſpicue indicat mitiſsimum ingenium, leniſsimam, & ad miſericordiam mirifice propendentem inclinatamq́; naturam? conſolari quippe miſeros, vt non eſt hominis ſtulti, omniumq́; rerum ignari, ſed experti & ſapientis, ita nõ eſt duri ac tetrici, ſed facilis, manſueti, & ad omnem comitatem facti.

Cicero libẽter conſolatur.

Quando gratulatur M. Tullius, quam ſincerus? quando petit, quam pudens & verecundus? quando iocatur, quam vrbanus & feſtiuus? quando gratias agit, quam nullius meriti oblitus, nullius beneficij immemor? quando commendat quempiam, quam diligens? quando narrat, quã apertus? quando monet, quam ſerius? deniq; vt reliquis epiſtolarũ formis percenſendis ne longum faciam, quando quocunq; tandẽ in genere ſcribit, quam eiuſdem exemplar & ideam perfecte conſequitur?

Cicero in omni epiſtol. genere perfectiſſimus.

Delectat nunc ſcita breuitate, nunc retinet ipſa longitudine lectorem, itaq; paſcit, vt cum ad finem legendo peruenerit, tum demum ad epiſtol. caput redire concupiſcat, & illas delicatas epulas non reguſtare tantum, verum etiam omnino abſumere (quanquam abſumi nunquam poſſunt) penituſq́; concoquere.

Cicero omnes laudes epiſtolæ complexus eſt.

Quæritis argutias? argutiſsimus eſt M. Tullius. deſideratis res minime ſpinoſas, planas, expeditas, è communi hominum vita ſumptas? eiuſmodi refertæ ſunt illius epiſtolæ. vultis rurſum res haud vulgares & tritas,

ſed magnas, illuſtres, è ſapientum commentarijs depromptas? harum vobis opulentia hîc non deerit. Quam præclara hîc legetis de religione erga Deos, de charitate erga patriam, de fidelitate in amicos? quam multa de honeſtate, de maximis virtutibus? quam multa de vitijs? Stylum epiſtolis vſitatum & conuenientem inueſtigatis? non opus eſt abire longius, hîc reperietis: nam vt plurimum ſubtile, ſeu humile, ſeu infimum dicendi genus (tot enim nominibus appellatur) ſeruauit. Nihilominus interdum propter rerum ſubiectarum pondus & grauitatem aſſurgit, ac verbis fulminat, quod idem optimus rhetorum

Lib. 9. cap. 4. magiſter Quintilianus fieri oportere admonuit. Non igitur tantūmodo ad exercitationem expolitionemq; ſtyli perquam conducens et neceſſaria exiſtimanda eſt frequēs & quotidiana iſtarum epiſtolarum lectio, quin ad animum quoq; magnarum multipliciumq́; rerum cognitione imbuendum ſingularem quandam vim & facultatem habet, cum omnes, qui modo in politiorum doctrinarū ſtudijs aliquid videre cœperunt, teſtificentur, præter illum latinitatis florem, præter illas Romanæ veteriſq́; linguæ delicias, multa ſe prudētiſsime, grauiſsimeq; prolata inuenire, ex quibus tum mens animi ad diſcendum intelligendumq́; celerior, tum voluntas ad bene viuendū incitatior euadat. De rebus difficilibus arduæ quæſtiones nonnunquam in ijs epiſtolis concinne ac breuiter ſoluūtur: nec paucæ numerantur, quæ illorum incommodorum, quibus circumſepta & circumfuſa eſt vita mortalium, remedia certa præſcribant, vt quam medicinam ab illa omnium perturbationum ſedatrice, & omnium bene factorum beneq; dictorum matre Philoſophia expectare alioqui oportuerat, eam ipſam bona ex parte ab epiſtolis Ciceronianis ſumere noſtro maximo compendio emolumentoq́; poſsimus. Quare cum hæc ita ſint, tametſi Plinij Secundi epiſtolas maiorem in modum probo & admiror, vt argumentis varias, concinnas, breues, quotidianis verbis contextas, argutas, lepidas, eruditulas & ſuaues:

In Cicerone, atque adeo in epiſtolis ipſius ſunt etiam res, non verba tantum.

Plin. Secundus.

ues: nihilominus vt in cæteris eloquentiæ partibus, sic in hac ipsa quoq; antesignanum Tullium ei multum anteposuerim, ac iuuentutem huius epistolis audiendis, ad verbum ediscendis, nec non assidua scriptione imitandis, longe vtilius occupari & exerceri posse crediderim: id quod superiorum temporum quibusdam Grammaticis non videbatur, quandoquidem illi, ne dicam Plinij (nam hoc non ita vituperem) sed quorundam ineptorum ac barbarorum epistolas pueris prælegerunt.

Quocirca Erasmus Roterodamus prudentius fecisset, meliusq; honori suo & famæ consuluisset, si Dialogum illum nobilem, in quo multo cum fastu Ciceronẽ & imitatores eius pro consuetudine sua insectatus est, nunquã edidisset. Nolim cõtendere nihil penitus in oratione Tulliana emendari posse: hoc liberrime affirmabo; propter minutissima errata, quæ triuiales quidam Grammatistæ notaverunt, adolescentiam ab huius viri aurea, & omnibus absoluta numeris elocutione effingenda exprimendaq; auocari minime debuisse: nec ita de optimis literarum studiis, ac inprimis de latina lingua, cuius parens, princeps & pater à grauissimis scriptoribus sæpe dicitur, meritum esse, vt ab hoc nouo Aristarcho censeretur, cuius dicendi genus, si cum illius diuina scribendi fælicitate velim comparare, quamuis sit verbosissimus, quodq; non nulli, nescio quibus auribus præditi iudicant, ornatissimus Roterodamus, tanto tamen M. Tullio inferior cerneretur, vt & inquinate loquens, & elinguis pæne ac mutus existimari posset. Quamobrem tantum sibi arrogare non debuit, vt data opera, quasi alter Tiro libertus, scriptorum Ciceronianorum canon esset, & suam ipse quoq; miniatam cerulam vt Atticus, quam Cicero se extimescere ad eundem scripsit, adhiberet. Haud me fallit, quanta sit apud plærosque Erasmi nomen in gloria, qui etiam nullo intercedente Senatuscos. Magni cognomentum illi tribuerunt. Sed mihi videntur in summo errore versari,

Erasmus Ciceromastix.

Epist. 17. libr. 16. ad famil.
Epist. 14. lib. 15. & 11. lib. 16.

& apertis oculis cæcutire, qui tantam eloquentiæ Ciceronianæ claritatem nō vident, & ex aquula parum lucida, quam ex tam limpido fonte, atq; vberi flumine sitim suam leuare malunt.

Angelus Politianus Cicero mastix.

Non parum audax fuit etiam Politianus. Is cum vniuersam imitationem Ciceronianam magno supercilio despiceret, tum præcipue in epistolis exarandis nullam huius viri ad æternam memoriam consecrati mentionem fieri voluit, ac proinde suo quodam modo epistolas facit, haud malas illas quidem, sed profecto non optimas. Est enim (dicam liberius quod sentio, & dicam non calumniandi, sed nostri Ciceronis ab impudentibus calumniis atq; à contemptu vindicandi causa) est inquam putidus antiquorū verborum consectator, de tricis Grāmaticis acre certamen instituit, sibi magnopere, vt videtur, placet, & acerbe maledicit. Quam artē, quas leuitates à moderatissimo, prudentissimoq; Cic. nunquam didicisset. Nulla prope in Politiani epistolis varietas rerum, perpetuo fere aut laudatur ipse ab aliis, aut suis laudatoribus respondet. Propterea si quispiam ex me scire volet, quem nam ego fructum ex huius epistolis referri posse iudicem, respondebo, eum, qui ex cæteris eiusdem viri libris monumentisq; percipitur. Reddent enim lectorem suum si minus purum, ornatum, leniter fluentem, copiosum, at certe quidem doctiorem & argutiorem, quia plæræq; sunt eruditæ satis & argutę, vt non immerito iam inuenerint, qui commentarium in eas ederet.

Belga quidam Cicero mastix.

Procedat in mediū tertius Cicero mastix, quē pro similitudine ac societate studiorū ita humaniter beneuoleq; tractatum dimittemus, vt tamen à totius humanitatis, & illarum virtutum, quas ei detrahere aut maligne aut inscite conatus est, principe iniuriam pro virili nostra defendamus. Hic ergo vltima epistola earum quas edidit, accusatoribus id in ipso reprehendentibus, quod Plautū potius quam Ciceronem sapere videretur, ad hunc modum

dum reſpondet : ſe hoc ipſum voluiſſe. Epiſtolas, inquit, ſcio me ſcribere, non orationes : quas cum vſus feret, inueniam fortaſſe, qui non minus commode ſcribat, quam ipſi. At epiſtolæ familiares ſiue verba, ſiue iocos ſpectes, quid aliud ſunt quam exemplar comici ſermonis? inter Comicos autem quis melior Plauto? itaq;. *Terēt. Adelph.*

Quod illi maledictum eſſe exiſtumant,
Eam laudem duco maximam, cum illum exprimo
Qui vobis vniuerſis & doctis placet.

Ille enim ſcriptor eſt, qui puritatem, qui proprietatem ſermonis ſuppeditet : ille qui vrbanitatem, iocos, ſales & eam Atticorum Venerem ſufficiat, quam fruſtra in reliquo Latio quæras. Primum, quod ait, epiſtolas familiares ſiue verba ſiue iocos ſpectemus, nihil eſſe aliud quā exemplar comici ſermonis, vtrumq; nego. Epiſtolæ enim referre debent ſermonē quotidianum atq; domeſticum, non comicum, vel comicum etiam, quatenus ille, ſicut debet, familiarem & quotidianum imitatur, non autem comicum abſolute, vt iſte vult: nam ſi hoc minime vult, nihil poteſt afferre, cur à Plauto epiſtolas diſcat ſcribere, loquitur enim Tullius quoque ſermone familiari, plebeio, & vſitato. At non ſemper. Nihil eſt neceſſe, quia non de vno certo rerum genere ſemper contexitur epiſtola, ſicut in comœdia vnum ſeu vniuſmodi argumentum explicatur, quod totum eſt humile ac ſummiſſum. Nihilominus vocem tollit aliquando, Iratusq; Chremes tumido delitigat ore. Cum itaque imaginem eſſe oporteat ſermonis quotidiani, vt conſtat inter omnes (quia definitur ſermo abſentis ad abſentem) quando autem congredimur vel cum familiariſsimis, non prorſus ita loquimur, vt in theatro loqueremur, nihil habet amplius probabilitatis iſta ſentētia. quid probabilitatis? immo inepta videtur, nam reuera & comœdia & epiſtola ſermonem familiarē imitantur, quamuis epiſtola ſimplicius, non autē vel ſermo noſter, vel epiſtola orationem theatralem debet

Epiſtolæ non ſunt exemplar comici ſermonis.

Epiſt. eſt imago ſermonis quotidiani.

Mos poëtarum bet exprimere. Verum vt opinionis abſurditatem clarius perſpiciatis, diligenter attendite. Poëtarum omnium cuiuſcunq; ordinis fuerint, hic mos eſt, vt à communi ac trita ſermonis conſuetudine ſeſe abducant. Vſurpant quaſdam locutiones ſibi proprias, habent ſua quædam verba, ſuos tropos, ſua ſchemata, ſuos metaplaſmos, & alias nonulla conformandæ orationis artificia, quibus fit, vt neq; ad oratoriam dicendi, neque ad vulgatam loquendi rationem penitus accedant. Hoc quale ſit, perfacile intelligent, qui poëtas triuerunt, exemplis non eſt opus. Et quanquam nulli poëtæ noſtro, quo vtimur, aſsiduo ſermoni magis affines cernuntur quam Comici, ſunt tamen non pauca, quæ vitare omnino conuenit. Principio verba priſca & obſoleta, quæ iſte, quem contra omnis hæc ſuſcepta eſt velitatio, ſe à Plauto ſumere non negat. Deinde archaiſmi, quorum nonnullos idem ſuis ſcriptis, videlicet tanquam gemmas inſeruit. item pleonaſmi, tautalogiæ, antiſtoecha, & huiuſmodi alia minutiora, quibus nihil apud ipſos frequentius. Quamobrem, ſi verba ſpectes, epiſtolæ non ſunt plane exemplar ſermonis comici. Addit, etiam ſi iocos ſpectes. Quaſi vero in epiſtolis quantumlibet familiariter ſcriptis perpetuo iocari oporteret, &, ſi iocari, comice, hoc eſt, plebeium in morem ſine vlla verecundia, ſine grauitate, laſciue ac diſſolute iocari. quis hoc dixerit? quam crebri, quam effuſi riſus, quã ſcurriles, quam frigidi, quam præterea obſcæni ſales in Plauto præſertim? Atqui epiſtola non ſcribitur tantum fricti ciceris & nucis emptoribus, cetariis, laniis, farctoribus & huiuſmodi hominum feci, cui ſuas fabulas recitabant Comici. Alios igitur iocos, alias facetias quæramus, & illas potius ex Terentio (ſi à Comicis tantum petendæ ſunt) quam ex Plauto petamus, quem quidem, quod optimum Comicorum, & alicubi ipſo Terentio meliorem eſſe multis probationibus demonſtrare nititur, dico ipſum adhuc trophæum non erexiſſe. Sunt namq; humanioribus

Comici ſermonis propria.

Epiſtol. quæſt. lib. 2. ep. 18.

nioribus disciplinis eruditissimi, & ingenio prudentiaque acutissimi viri, qui non sine argumentis quæ adducunt, priores ad Terentium deferant. Sed hæc quæstio non est huius loci. Quod adiungit: Ille scriptor est, qui puritatem, qui proprietatem sermonis suppeditet, ille qui vrbanitatem, iocos, sals, & quæ sequuntur, demiror hunc tam lusciosum extitisse, vt eadem in Cicerone, vel maiora etiam non viderit. Scio Varronem palmam decreuisse Plauto in sermonibus, sicut Terentio in ethesin, seu in decoro personarum. Veruntamen, cur quisquam in epistolis Tullianis puritatem verborum proprietatemq́; requirat, ego nondum intelligo. Iulius Cæsar, an ideo suos de latina lingua commentarios M. Tullio inscripsit, vt eum latine doceret? non profecto non, quippe quem de latino sermone, deq; litteris præclare meritum esse diceret, ac Romanæ copiæ principem inuentoremq́; appellaret. Cur igitur ad eum misit? cur? vt iudiciũ vnius optime omnium latine loquentis eliceret, ex quo statuere posset, exire ne pateretur illos libros, an supprimeret. Hæc ipsa caussa fuit M. Terentio Varroni, vt volumina sua eadem de re scripta ad illum mitteret: quem oratorum Coryphæum iudicabat. Quem ergo tanti fecerunt duo scriptores excellentissimi, qui sunt purissime & maxime proprie locuti, vt ipsius iudicio sua iudicia vltro submitterent, iste vnus heri natus videtur suo Plauto postponere. Quanquã id non omnino, esset enim reuera crimen Vatiniano dignum odio, at magna saltem ex parte, in ratione nimirum scribendarum epistolarum. Quod si tam inconsideratus & temerarius non est, vt hoc faciat, quid ergo est, quæso, quod nos tam aperte ad Plautum vocare audet, cum est efficienda epistola? De Plauti vrbanitate & iocis quid Horatius senserit, quis ignorat?

Cæsar & Varro lib. de lingua lat. cur ad Ciceronem miserint.

At vestri proaui Plautinos & numeros, &
Laudauere sales, nimium patienter vtrunque
Ne dicam stulte mirati.

Ad Pisones.

1. de Off. Cæterum, esto, aduersus Flaccum valeat M. Tul. grauissima auctoritas, qui sales huius Comici valde cõmendauit, quam commendationẽ ca. 38. scholio recitauimus cum de iocosis auctoribus ageremus. Negari interim vel repugnante Cicerone non potest, id quod supra dixi, multis locis abiectos nimium, frigidos, & impudicos esse. Quid igitur? Cicero tibi tam insulsus videtur? nullos ne lepores, nullas iocationes, nullum salem habet? Ne tu quod

Cicero iocosus. istic fabuletur, aures immittas tuas, inquit Tyndarus in capteiuis. Verisimile non est de homine natura vrbanissimo, cuius ioca tribus libris collegisse proditum est Tironẽ libertum, &, non pauca memorat in eius vita Plutarchus, & in Saturnal. Macrobius, vbi non minus Tul. quã Plaut. ad iocorum venustatem cæteris præstitisse scribit: quod testimoniũ iste legere debuisset. Iocatur utiq; in monumẽtis suis. M. Tul. immo artẽ ipsam tradit, vt cognoscas plus quam semel in vita risisse. Vrbanus inquam est & facetus

2. de Orat.

Lege epist. 32. lib. 7. & 15. 16 lib. 9. ad famil.

egregie, & se talem esse, prædicat aliquoties, & talis haberi omnino desiderat. Quod si nasciturum aliquando putauisset, qui vrbanitatis possessionem sibi ereptam ad vnũ Plautũ transferret, & in eo ipso Cic. sese iudicio auctoritateq; defenderet (quanquã Plautin. hic id minime facit) credo equidem, Sarsinatem istum, paulo quam fecit, parcius celebrasset. Quod si tam creber in iocando non est, quid mirum? nec enim factitauit comœdias. Si non tam obscœnus, immo enim verò si non obscænus (nullum est enim, nullum est inquam verbum in toto Cicerone impudicũ, nulla sententia libidinosa, nihil quod ad deprauãdam morũ sanctitatem valere posit) nec istuc mirũ, fuit etenim honestatis & pudoris seruantissimus. Si argutior, erat ingenio acutissimus, & pistorem Plaut. intelligentia atq; doctrina longe multumq; superabat. Postremo, an vocant me (inquit discipulus ille Plauti) ad illorũ exemplum, qui omnes epist. vno modo scribunt? Rideant, doleant, ioca, seria tractent, doctos, indoctos compellent, idẽ

Cicero vita & scriptis honestissimus.

vbique

vbiq; tenor eſt, eadem lentitudo. Hoc loco, ſi perſtringere Cicero. voluit (voluiſſe autem videtur) male ſapit, genus fortaſſe dicẽdi ſimile eſt apud illum in ep. quã plurimis, lentitudo non eſt eadem, nec puto vllum extare ſcriptorem, qui accuratius requiſitam in ſcribendo varietatem ac diſsimilitudinem cuſtodiuerit. Quare multiplex eſt ac varius Cicero, ſed ita, vt ſe Cicer. eſſe, non hiſtrionem meminerit. Varias cogitationes, conſilia, ſententias ſuas diſſimiliter explicat, nec tamen idcirco diuerſas, ſed vnam perſonam & eam grauem ſemper agit. Huic autem niſi comicæ leuitates & ineptiæ nihil probatur. Meæ verò epiſtolæ, inquit, & facetum aliquid habeant & eruditum, & remotum à captu vulgi, & quod ſæpius repetitum placeat. Papæ, quam multa, noua, inaudita? habent aliquid facetum epiſtolæ Cicero. & facetius quam Plautus tuus, habent aliquid eruditum, & remotum à captu vulgi, quã quam dubitari poteſt, vtrum hoc rectè adiunxeris: Demetrius quippe non patitur res tales in epiſtolas cadere, præſertim, ſi nihil aliud agas, niſi vt doceas ac diſputes. habent demum, quod ſepius repetitum placeat, quodque nullam vnquã propter incredibiles elegantiarum iucunditates ſatietatem afferre poſsit Ac de ſingulis ſane M. Tullij epiſtolis hoc affirmari poſſe arbitror, quod Horatius de bona poëſi: hæc decies repetita placebit. Plane, quomodo P. Ouidius de ſcriptis cuiuſdam oratoris Cottæ ad ſe tranſmiſsis, ſic ego de orationibus & epiſtolis Tullianis non verebor cantare iiſdem verſibus. *Cicero varius.*

Quæ quanquam lingua mihi ſunt properante per horas *Eleg. 5. lib. 3. de Ponto.*
Lecta ſatis multas, pauca fuiſſe queror.
Plura ſed hæc feci relegendo ſæpe, nec vnquam
Hæc mihi, quam primo grata fuere minus.
Cumque ſua toties nihil è dulcedine perdant,
Viribus illa ſuis, non nouitate placent.


QVIA ME LIBRARIVS admonuit, fore, vt aliquot pagellæ relinquerentur vacuæ, mihi cogitanti, quo pacto eas implerem, hoc incidit cōsilium, vt nimirum subtexeremus ea, quæ de laudibus M. Tullij Cicero. à Dionysio Lamb. præstantissimo nostri sæculi oratore copiosissime & ornatissime conscripta legimus. Nos quidem balbutientes maximū illum virum, Ciceronem inquam, aliquoties in hoc libro collaudauimus. At nunc demum adolescentes ex huius ore ipsum admirari, quā eximius, quantarumq́; virtutum scriptor ille extiterit, liquidius cognoscere, ad eum deniq; lectitandum, &, siue epistolas, siue orationes, siue dialogos, siue quicquid aliud scribant, imitandū ardentius inflammari poterunt. Quanquam, quid est, quod de hoc facundiæ latinarumq́; litterarum parente, vt appellauit Plinius, quisquam quantacunq́; præditus eloquentia pro dignitate dicturum sese arbitretur? in cuius laudes sequendas, ait Liuius, ipso Cicerone laudatore opus fuerit.

EX

EX DIONYSIO LAMBINO, DE LIBRIS M. TVLII CICERONIS, AD CAROLVM IX. Galliarum Regem.



SCRIPTA M. TVLLIVS PLVRIma reliquit, quæ vtinam & omnia & integra ad nos perueniſſent. Quantum ex omnibus, iiſq; totis & integris, fructum percepturi fuerimus, ex eo cognoſcere licet, quòd ex his reliquiis iiſque mutilis & laceris, tantã ad litterarum ſtudioſos vtilitatem peruenire videamus. Cùm ſint autem eius ſcripta in quatuor genera diſtributa, aliaque ſint quaſi technica, quibus tota Ars dicendi continetur: alia, quæ orationes appellantur: alia, quæ epiſt. alia, quæ philoſophica: eorum nullum eſt, vnde quiſquam, quantumuis iniuſtus rerum exiſtimator, quidquam vel minimum ad mores corrumpendos valere, verè criminari poſsit. Atque, vt omittam Rhetorica, quæ totam artem dicendi copioſiſsimè, prudentiſsimè, diſtinctiſsimè, planiſsimè explicatam complectuntur: in orationibus ipſis, præterquàm quòd incredibilem, ſingularem, admirabilem, ac pæne diuinam ſermonis elegantiã, venuſtatem, grauitatem, vim atq; vbertatem continent: multi ſunt præterea loci ad philoſophiam pertinentes, & ad rem accommodatiſsimè tractati. Nihil de religione, nihil de pietate, nihil de caritate patriæ, nihil de bonis rebus, aut malis, nihil de virtutibus aut vitiis, nihil de officio nihil de dolore aut voluptate, nihil de vita aut morte, nihil de perturbationibus animi & erroribus à philoſophis vllis diſputatum eſt, cuius non appareant atq; emineant in orationibus M. Tullij illuſtria quædam & præclara lineamenta, atq; adeò viua ſimulacra. Quod idem de epiſtolis verè dici poteſt. Iam philoſophica totam &

veterum Academicorum,& nouorum,& Peripateticorũ, qui nihil ferè à veteribus Academicis discrepabãt,& Stoicorũ,& Epicureorum,& aliorum sententiam,rationemq; continent. Nam cùm de rebus omnibus,vt Academicus, non solùm in vtramq; partem disputaret, verum etiam ex omnium philosophorum sententiis quid in quaque veri inesset,studiosè eliceret,apparet ex eius scriptis nullius illum philosophiæ rudem atq; expertem fuisse. Neq; verò est quòd eum quisquam ex tali disputandi genere aut nulla in certa sententia constitisse,neq; quidquã, quod sequeretur, habuisse: aut impium fuisse, minusq; rectè de deo, aut de animorum immortalitate sensisse existimet. Quin ex eius scriptis intelligere licet, eum & id solum rectum esse sensisse, quod honestum,quod iustum, quod denique cum virtute consentaneum, & coniunctum sit, & in virtute plurimum esse præsidij ad benè beateque viuendum iudicasse, & deum vnum esse huius mundi opificem atq; effectorem, eundemque mentem solutam & liberam, segregatam ab omni concretione mortali, omnia sentientẽ & mouentem, ipsumque præditum motu sempiterno,in omneis beneficum ac liberalem, omnibus animantibus commoda quibus vtuntur, lucem, qua fruuntur,spiritũ, quem ducunt, dantem atque impertientem, omnia cogitantem, intelligentem, prouidentem, atque animaduertentem: bonis & piis suæ pietatis præmium persoluentem,improbos & impios pœnis sempiternis afficientem,persuasum habuisse. Sed erat mos ille patrius, atque auitus Academicus,semper in dicendo ac disputando omnibus aduersari,iudiciumq; suum nusquam interponentem ea approbare,quæ similia veri viderentur: quę cõtrà, improbare. hunc morem adamauerat atq; expetiuerat Cicero,eumq; in primis sequebatur, diligenterq; retinebat, vt affirmandi arrogantiam vitans,eadem opera temeritatem fugeret, à sapientia maximè discrepantẽ,plurimumq; dissidentẽ.Huius igitur diuini scriptoris lectio-

nem, Carole, noli putare cum aliorum Latinorum lectio-nis vtilitate eſſe comparandā. Ex aliis enim vel quod ad vnā aliquam artem pertineat, vel, ſi fortè etiā ad plureis referri poſsit, quod tamen aut minus diſtinctè, aut minus eleganter atq; ornatè, aut minus variè & copioſe, aut minus erudite ſcriptũ ſit, petere ſolemus. Ex hoc, tanquā vberrimo omnium doctrinarũ atq; artium fonte, ſiue grāmaticum aliquid, ſiue rhetoricum, ſiue dialecticum, ſiue hiſtoricũ, ſiue poëticũ ſiue geographicum, ſiue œconomicũ, ſiue morale & politicum, ſiue phyſicum, ſiue geometricũ, ſiue muſicum, ſiue aſtrologicum, ſiue theologicũ (cuiuſmodi quidem theologicum illa tempora ferebant) quicquid deniq; ad vllam omnino artem libero homine dignā pertinens requiras, hinc tibi aſsiduè haurire, hinc auidiſsimam ſitim explere, hinc immenſa atq; ingentia prata irrigare licet. Ab hoc diſcunt pueri, ab hoc ſenes: ab hoc priuati, ab hoc magiſtratus: ab hoc ruſtici, ab hoc vrbani: ab hoc miſeri & calamitoſi, ab hoc beati & fortunati: ab hoc pauperes & egentes, ab hoc diuites & abundantes: ab hoc ignobiles & obſcuri, ab hoc nobiles & clari viri: ab hoc plebeij, ab hoc patricij: ab hoc ſacerdotes, ab hoc profani: ab hoc Galli, ab hoc exteræ nationes: ab hoc militares & ſagati, ab hoc pacis alumni, & togati: ab hoc homines infimi & humiles, ab hoc viri excellentes & principes: ab hoc manipulares, ab hoc imperatores: ab hoc poëtæ, ab hoc oratores: ab hoc grāmatici, ab hoc philoſophi: ab hoc medici, ab hoc iuriſconſulti: ab hoc qui viuunt in regno, ab hoc liberæ ciuitates: ab hoc populares, ab hoc optimates: deniq; nemo eſt mortalium, cuiuſcunq; ſit vel ætatis, vel loci, vel ordinis, vel fortunæ, vel ſtudij, vel nationis, quin à Cic. & melior, & doctior fieri poſsit. Quid? exiſtimaſne Carole, tot doctiſsimis atq; ampliſsimis viris, quos habet tua Gallia innumerabiles, tot magiſtratibus, tot curiarũ præſidibus, tot prætoribus, tot legatis, tot ſupplicũ libellorũ in tua Regia magiſtris, tot conſiliariis, tot

cauſa-

causarum actoribus & patronis, tot oratoribus, tot iurisconsultis aut suppetere posse quod quotidie dicant in tanta varietate rerum, nisi animos suos cùm aliorũ scriptorum, tum maximè Ciceronis lectione excolant: aut tantam contentionem, tot ac tantos labores eis esse tolerabileis, nisi sese huius potissimùm eruditissimi, disertissimique scriptoris & suauissimo sermone, & grauissimis sententiis relaxent?

Nunc demum ad optatos exitus prouecti sumus, quoniam quæ cõmentariolo huic partim augẽdo, partim illustrãdo apta reperire, excogitareq; potuimus, ea dedim9 operam, vt omnia quam planissime adolescentibus traderemus. Maior sane quã putaueram facta est huius opusculi magnitudo. Quippe cum initio vnũ duntaxat alterumue (vt hodie loquimur) quaternionẽ addere constituissem, postquã me huic pulcherrimæ, & amœnissimæ arti cognoscendæ penitus dedidi, illamq; sæpius attentiusq; considerassem, adeo non pauca, & ea (vt ego quidem mihi persuadeo) nequaquam triuialia occurrerunt, vt Rochus vix quartam in hoc libro partem retinuerit. Quocirca, cum præter 27. cap. à me Rochianis adiuncta, decreuerim adhuc nonnulla ad idem artificium pertinentia vtiliter adiungi posse, & scholia alicubi locupletari, alicubi noua apponi rectè posse animaduerterim, ad secundam editionem, si vita suppetet, maioresq; mei consilium approbabunt, & maius mihi otium contigerit, quam huc vsq; contigit, tres libros adornare proposui, nam nunc quidẽ vnicum in 3. partes diuisi. Et quamuis Rochi diligentiam in his preceptiunculis conficiendis sæpe laudauerim, tamen necesse habui frequenter confusa distinguere, omissa supplere, obscura illustrare, duriuscule dicta mollire, & quædam etiam parum coherentia prorsus amputare, ea denique præstare, de quibus in præfat. disserui, vt iam se ipsemet in libro suo, si viuat, vix amplius cogniturus sit. Hæc porro dum feci, non illius à me honor læsus, quis enim

magis

magis Rochum honorauit? ſed adoleſcentum ſtudioſorum ratio habita eſt, qui, ſi nihil horum fieret, quæ a me facta confeſſus ſum, haud valde yberem ex hoc libello fructum cæpiſſent. Quia verò in omni genere liberalium ſtudiorum præcipuam vim ad erudiendum exempla habere iudicantur, enitar pro viribus, vt adoleſcentes ſingulis ſubiecta epiſtolarum formis idonea, perſpicua, nec inquinate ſcripta, & ad imitandum facillima quędam exempla legant, cuiuſcunq; tandem illa fuerint. Denique omnia quæ modo excuſa ſunt, emendatius multo vt excudantur prouidebo. Nam nunc quidem nobis & librario verè accidit, quod ille in capteiuis ait. Qui cauet ne decipiatur, vix cauet cum etiam cauet. Tu veniam impertiere, mi Lector, & eo libentius, quod nullum potes librum nominare, qui erratis vacet, vt feſtiue quidam per parodian ceciniſſe videatur,

Haud vacuus mendis liber editur, optimus ille eſt
Qui minimis vrgetur.

Quæ igitur vitia alicuius momenti cenſuimus, ea quẽadmodum emendari poſſent infra oſtendimus. Inſuper te hoc monitum volo, numeros illos denſos, quando Rochus Tullianas potiſsimum citat epiſt. interdum fallere. Quod cum aliquoties quærendo deprehenderem, mendaces funditus deleui, quid enim tam ſtultus eſſem, vt ſciens falſum ponerem? Cæterum hoc incommodi, & ſiquid aliud præterea vel negligentia vel inſcitia erratum eſt, altera editione, Deo inprimis nos adiuuante, prorſus ſublatum iri confido. Vnum addam propter rudiores. pag. 34. vbi recitatur epiſt. Greg. leguntur hæc verba: vt nec ſcribere, ſed imitari vmbrarum &c. quæ Manut. de græcis ad verbum expreſsit. Idcirco obſcuriora ſunt minus eruditis. Reddere potuiſſet, vt non ſcribas, ſed imiteris potius vmbrarum meridianas &cæt.

ὡς μηδὲ γράφειν, ἀλλὰ μιμεῖσθαι.

FINIS.



ERRATA ſic emendabis.

Præfat. pagin. 3. b. verſ. 9. exprimant. pagin. 10. γνωρίζεται. 13. ὑμῶν. 15. 9. concinnas. 18. 20. ferantur. 25. 1. quæ. 27. 25. ſuam. 32. 1. ſcriberet. 35. vlt. argumenta. 36. 7. verborum. & 8. ſtylum & vlt. Victorius. 40. 14. Plancum. 41. 22. amans. 57. 1. & elegant. 71. 6. exprobrat. eadem pag. in margine illud (Ad primam) prius poſitū dele. 74. 15. iſtis. 78. 4. vehementiſsime. 99. 13. item 100. 8. commendatitijs. 115. 1. ante (ad) ſiſte punctum. 121. 14. perſuadet. 165. 22. fuiſſe. 168. 14. lib. 2. 183. 13. prædicabimus. 288. 1. dixerim. 195. 17. inprimis. 137. 31. parentes. 248. in marg. cap. 251. 23. aliquis. 254. ſuos. 256. 26. imagine. 266. 12. vtebantur.





gin. 10.
20.fera
lt. argu
rius.40.
6.expro
ius positũ
100.8.
21. 14.
rædicabi
arentes.
26.ima



Georgius [illegible] Vicarius
Blumfeldensis
Martinus Charwonsky
Vicarius Blumfeldensis
[illegible] Waldmann
[illegible] et [illegible] [illegible]
Blumfeldensis

